


Wapiti  
153  
du  
Fauvel  
de

31.3  
1.1.1.1

Digitized by the Internet Archive  
in 2009 with funding from  
University of Illinois Urbana-Champaign



TYPICVS  
HIEROPOLITARCHA,  
IN ANTITYPO EXPRESSVS,  
ANNO CHRISTI  
eodem



Quo  
THEODORVS ADOLPHVS  
PADERBORNENSIS ANTISTES  
XXXVI.

A SVIS RITE INAUGVRATVS  
ISTA SVA EXHIBEBAT INSIGNIA:



Paderbornæ,  
Imprimebat Ioannes Vlticus Huberus.



SIMON ONIADES IVSTVS,  
HIEROPOLITARCHA TYPICVS:  
ANTITYPVM SVVM,

REVERENDISSIMVM, ET ILLVSTRISSIMVM  
DOMINVM

THEODORVM  
ADOLPHVM EPISCO-  
PVM PADERBORNENSEM,

S. R. I. PRINCIPEM,  
Comitem in Pirmont, &c.

RECENTER INAUGVRATVM  
repræsentans:

PROVT  
AB IESV SIRACHIDE,  
*Libri sui Ecclesiastici capite L.*  
præsentatus,

SOCIETATIS IESV COLLEGIO  
PADERBORNENSI,

SVÆ REVERENDISS. ET ILLVSTRISSIMÆ  
CELSITVDINI

ÆTERNVM DEVOTO,

*In quoddam publicæ gratulationis, & privats gratitudinis symbolum,*  
repræsentabatur.



ANNO CHRISTI EODEM, QVO

Spes & res patriæ apparebat Latior,  
abs

THEODORO ADOLPHO

Paderbornensi Antistite XXXXVI

THE GREAT EASTERN LIFE ASSURANCE COMPANY

INCORPORATED IN THE STATE OF NEW YORK  
OFFICE: 100 WALL STREET, NEW YORK, N. Y.

Capital and Reserve Fund, \$10,000,000  
Assets, \$15,000,000  
Total, \$25,000,000

Agents: J. W. ...  
Sole Agents: ...  
New York, N. Y.



# PADIFONTANA PALLAS,

IN PADERBORNENSI SOCIETATIS  
IESU Collegio, MUSARUM PRÆSES;

AD REVERENDISS. & ILLUSTRISSIMUM  
PRINCIPEM

## THEODORVM ADOLPHVM,

EPISCOPVM PADERBORNENSEM, &c.

Dominum suum Clementissimum,



Gratiosissimum Patronum,



Everendissime, ac Illustrissi-  
me Princeps, &c.

Differtantibus inter se Musis nostris, quodnam  
potissimum CELSITUDINI TUÆ, suo Alteri THE-  
ODORO, suo PHOEBO redivivo, & SOLI ad suos PA-  
DI, FONTES noviter oborto, Pallas Tua, suæ tum

privatæ Gratiitudinis; tum publicæ Gratulationis, velut peculiare Sym-  
bolum, in communem universi Populi suo PRINCIPI Novo applaudentie  
complausum offerre posset: Obtulit sese, ita suggerente nostra, in Bibliacis  
Typis, & Antitypis libenter symbolizante Vrania, quidam, ex Typogra-  
phico Sirachidæ Archivo, symbolismus Typicus, hunc PHOEBUM novum ita  
repræsentans, ut à Typo Antitypon, Ectypon à Protypo, & Archetypo suo,  
ad amussim expressum videatur.

TYPUS hic Nobis, & Protypus, & Archetypus est ille, qui porrectam  
suo ANTI TYPŌ, Libelli nostri frontem, in titulo ejusdem, candidè aperit,  
nempe SIMON ONIADES, Anno Mundi, secundum exactiorem Chronolo-  
giam, ter millesimo, septingentesimo, quinquagesimo quarto: ante  
Christum ducentesimo, nonagesimo nono, creatus Israëlitarum  
Dux, & PONTIFEX: cognomento IUSTUS: ob insignem, ut ex Iosephi  
lib 12. Antiquit. cap. 2. Euseb. asserit, & in Deum Religionem; & cives suos  
Benevolentiam: utramque insigniter probatam, illis potissimum temporibus,  
quando, per Schismaticos inter se contententes Magni Alexandri  
Monarchæ jam defuncti successores, diviso Græcorum Imperio, Synagoga  
Israëlitica per suos Iasonas, Menelaos, Heliodoros, iisque similes Pseudo-  
Duces, ac Pontifices, in extremam Reipublicæ tum Profanæ; tum Sacræ, rui-


nam abierat; nisi per adversantes ipsis Assiduos; Machabæos, aliosque, fideliter, ac legitimè Patrizes ONIADAS, velut Germanos Hieropolitarchas generosè obsistens, in adumbrandam Ecclesiæ Christianæ figuram, gloriosè constitisset.

Hanc TYPI, & ANTYPI sui Orthosymmetriam Nostris Musis considerandam, Sirachides Hagiotypographus Noster, à Spiritu sancto inspiratus exhibet, Libri sui Ecclesiastici cap. 50. ubi, postquam sex immediatè proximis capitibus, diversos, ex Israëlita Gente, viros, tum Patriarchas, tum Hierarchas, & Prophetas Gloriosos dilaudasset, sua tandem consummat Encomia in uno SIMONE ONIADE HIEROPOLITARCHA, velut peculiariter suos inter Majores GLORIOSO. Eiusmodi Gloriam idem Hagiotypographus, primū quidem Historicè Grammaticis; deinde porro Symbolicè Hieroglyphicis typorum formis; ac figuris, adumbrare potius; quam adornare conatus est: Nos ANTYPO suo eadem non tam exponere; quam proponere conabimur. Si Effectus conatui defecerit; suffecerit Affectus, quem in Effectu qualiquali officiosissimum suo Alteri THEODORO exhibere conabatur, in Athenæo Palladio,

SVÆ REVERENDISS. & ILLUSTRISSIMÆ

CELSITVDINI

devotissimum Societatis IESV Collegium  
Paderbornense.



## MVSARVM PADERIDVM

Autoritate PALLADIS ad Hieropolitarcham suum ab ipsis honorandum  
APPARATVS ISAGOICVS.



**I**te hilares Elegi, properate, volate,  
citatis

Dactylicum numeris accelerare  
gradum:

Palladis hæc nutu vestræ insinuate Parenti,  
Musarum ad Paderam significanda choris.

Mœsta relaxatos, Elegæia, stringe capillos:

Iam satis angori, supplicioque datum.

Laurea Cæsariem; non Myrtea fascia stringat:

Quod sequitur, velut ex Palladis ore sonet:

Vos, ô Paderides, mihi corda fidelia, Musæ,

Pandite nunc vestros, in mea vota, sinus.

Grande paratur opus, tenui fortassis opellâ,

Si tenues Nostras intueamur opes:

Grandior interea tenuem si Affectus opellam

Suppleat, Effectum vincet opella suum.

Ergo siue operæ placeat, seu nomen opellæ:

Hoc in opus tēdat, quidquid habetur opis:

Musæ sint operæ: Musarum operosa voluntas

Huic operi fervens, quâ valet, addat opem.

Vranie disponat opus: reliquæque Sorores,

Qua præstant reliquis auxilientur ope.

Staminibus Profæ radiant subtegmina Metri:

Prosa Metro niteat vermiculata suo.

At quorsum hæc? nunquid mutum, furdumq;  
Volumen

Concinnis poterit metra sonare tonis?

Sat poterit Musis animatum: namque sonoram

Instruet Orchestram, cujus ab ore sonet.

Orchestra hæc medio spectabilis Amphitheatro,

Ingeniosa novis est fabricanda modis.

Tres Horæ triqueterna dabunt spectacula: mensi

Pertotidem scenas unicuique suum.

Horarum simplex: Musarum ternio triplex:

Conveniet Musis quælibet Hora tribus.

HORVS, & HOROLOGVS Musis, Horisq; proband

Nostri Argumentum grande laboris erit.

Sed labor iste suavis erit: labor iste dicendus

ONIADE Nostro: quem decet iste Labor.

ONIADES hic noster, hic est THEODORVS ADOLPHVS

RECKIVS, Heroum sanguis, honorq; Patrum.

Ergo age Calliopea, Tuus Tibi prodeat Heros,

Heroi herois nobile pangat Epos.

Historias Clio percenseat heroinas,

Et Nostro Heroi gloria fiat honor.

Hymnis heroem variis Polyhymnia cantet:

Heroum decorum sit Polymneia memor.

Melpomenè tragicis gradiens induta Cothurnis,

Heroum heroum fata tremenda canat.

Comica foccato HEROEM pede formet euntem, V

In tragicomœdis docta Thalia choris.

Euterpe

Euterpe jucunda Bonis Heroibus, isti  
 Præbeat HEROI munera læta Bono. (ctas,  
 Terpsichore choreas Virtutum ex Arte profe-  
 HEROEM ostendet condidicisse suum.  
 Nomen Amoris habens, Erato heroina det illū,  
 HEROEM proprii semper Amoris Herum.  
 Vranie dabit HEROEM super Astra locandum:  
 HEROVM HEROI construet Vranio:  
 HEROVM duodena sui Monumenta relinquens:  
 In quibus Heroi verus Honoris Apex.  
 Musarum tandē Chorus agglomeratus honores  
 PONTIFICI tentet conglomerare Novo.  
 Grande SACERDOTIS MAGNI decus esto Libelli  
 Terminus exigui: MITRA coronet opus.  
 Atq; ita nunc satis est: ad Rem procedite: Noster  
 In Typico Antitypus prodeat ONIADES.

## Prodit, ecce

TYPVS ANTITYPO SVO,

Qualis ab Hagiotypographo, Libri sui Ecclesiastici cap. 50.  
 vers. i. exprimitur:


 SIMON ONIÆ FILIVS, SACER-  
 DOS MAGNVS:



Rat quippe SIMON iste Oniades Filius Primi ONIÆ, Ducis  
 apud Israëlitas, & Pontificis: sed minus Fortunati; nempe,  
 sub quo Ægypti Rex Ptolomæus Lagides Hierosolymam  
 die Sabbati feriantem potitus, Israëlitarum centum millia,  
 ut Ioseph. initio lib. 12. Antiquit. enarrat, in Ægyptia-  
 cam servitutem abduxit: Nepos autem IADDI fortunatio-  
 ris suo Filio, Ducis item, & Pontificis, quem Alexander Magnus, Tyro iam

occupata, Hierosolymam tendens, inde cum agmine Sacerdotum candidato, sibi obvium reveritus, Divino in ejus Tiara, Nomine adorato, ut Amicus Amicum in urbem suam reduxit, ascendens in Templum, ut ibi sacrificium per Sacerdotes Pacificum immolaret. Hujus Avi tam Fortunati Nepos; minusque Fortunati Patris Filius ONIADES, utroque Fortunator, qui Deum, quomodocunque sua sibi fortunantem, ita suum fecerit, ut ab eodem, quacunq; tandem Fortuna, seu afficiente, seu officiente, nunquam defecerit.

Fortunam suam Iulius Cæsar, in statua Personæ suæ conformi exhibere cogitans, volebat efformari globo Terræ insitens, alterâ manu Gladium, alterâ Librum tenens, hoc Lemmate subiuncto: *EX VTRORQUE CÆSAR:* insinuans Fortunatum se, qui tum Armis, tum Litteris, illam Cæsar's Romani Monarchæ dignitatem, primus obtinuisse. An, & quàm rectè; infelix tanti Cæsar's exitus aperuit, quando in Senatu confossus, ex Fortuna sua periit. Rectius Cebe ille Philosophus Thebanus Fortunam suam pingebat in eadem vitæ humanæ tabula, velut æmulam coniunctam Virtuti; sed hanc lapidi quadrato; illam rotundo insistentem: significans hominem stabilis in Virtute, quàm Fortunâ, sibi constantem.

ONIADES ille Typicus, quàm felix ex Avo; tam ex Patre infelix, ut felicior ex utroque foret, suam in Virtute basin collocans, & ut omnia felicius prosequatur, Fortunam sibi comitem, Virtutem ducem in adversis, & prosperis acceptans, convenienter Nomini suo Patronymico, verus erat ONIADES: ONIAS enim Hebraicè idem, quod Latine, *FORTITUDO MEA DEVS:* quinempe Fortitudinem solidam, per solam Virtutem Homini communicat: idq; notans Hagiotypographus in Oniadæ sui Genealogia, ommissis Maioribus aliis, unius tantum Oniæ Patris, eiusque minus fortunati, meminit: ut Germanæ Fortitudinis Heroes advertant, sibi non tam nominum inanum; quàm rerum solidarum, nobilitantes Titulos: eosq; non tam à suis Maioribus, quasi mutuato; quàm à semetipsis, velut ex merito, acquirendos, iuxta nobile illud verè Nobilium Epigramma:

*Hic meruit vera sibi Nobilitatis Honorem:*

*Quem Genus, & Genij nobilitavit Honor.*

Dubium hîc inter Musas ipsas oriebatur: An huc intromittenda esset Origo, & Familia sui ONIADÆ, an potius intermittenda; ne fortassis, dum illam obiter adumbrare cogitent, magis obumbrent, simulque notam sibi verecundiorum ipsius Modestiam, sua fortè minus verecunda Immodestia offendant. Interim plurium sententia prævalebat, prudenter arbitrantium, hîc non attendendum, quid eius Modestia verecundior; sed quid maior eiusdem Dignitas: quid rei Veritas: quid Veritatis amica Posteritas: quid Republicæ Utilitas, & maior Dei Gloria, in eiusmodi negotio, seu permittat, seu requirat: præsertim cum tam ipsi ONIADÆ, quam ipsius Familiæ, id ipsum, quasi Frænum, & Calcar, in Prænobili Ordine suo Equestri, futurum sit, quò, & Citra, & Ultra, Plus intendendo, auream Heroinæ Virtutis Mediocritatem, sibi obtineant, conservent, & amplificent. Sic ergò Musis inter se consentientibus, & annuente Pallade, sua ONIADÆ NOSTRO, sub Insignibus suis exhibetur, obiter insinuanda

7

# HEROINÆ DOMVS RECKIÆ

## Antiqua, & Clara Nobilitas.



NOBILES Romani olim suis, Maiorum suorum, præfertim Virorum Illustrium, quos, peculiari nomenclatura, HEROAS nominabant, egregiis figuris, & imaginibus, non tam conclauia Domus suæ interiora, quàm exteriora vestibula, seu atria vestire consueverant: hoc ritu famam suæ Familiæ clariorem, tum in proprio, tum in alieno mentis conceptu, non minus ingeniosè, quàm honestè, interdum etiam dolosè, parturientes. In atrii enim (velut ex communi hominum externorum introitu, & domesticorum vsu, & foco perpetim fumoso, plerumque atratis) imagines huiusmodi facilius atredinem; quasi antiquitatem indutæ, etiam Novæ, quasi Antiquæ inuentium oculis frequenter illudebant: & ibidem, nimirum in vestibulis Deæ Vestæ, Ignæ simul ac Terræ, consecratis, originem sui Exemplaris, tum ex Terra humilem; tum ex Igne sublimem adumbrabant: iuxta illud Maronis:

*Ignæ est nostris vigor, & cælestis origo  
Principibus*

Vnde Principes nominati olim Heroes, videlicet *ἄνθρωποι τῆς Ἡρώας*, nempe Iunonis ex Iove; non Terræ filij: Homines quidem Natura; sed Virtute Dii: prout in sua Theogonia Hesiodus, versus Heroico suis Heroibus accinit, his verbis:

*Ἀνθρώπων Ἡρώων θεῶν Γένος, οἱ καλέονται  
Ἡμίθεοι.*  
*Virorum Heroium divinum Genus: qui vocantur  
Semidei.*

Nomen illud HEROIS Germana ONIADÆ nostri Familia sibi Germanum fecit: ut in suo Agrippinatum Sacrario lib. 2. Syntagm. 14. Gelen. observat: ubi præter alia complura Nobilitatis Germanæ Insignia, ex Romanis Tribubus, & Armis, in suas Colonias, Vrbes, & Arces, Romano Imperio subditas, deducta, etiam Insigne huius, de qua hic agitur, Heroinæ Domus Reckia, similiter inducit, aiens: *Domus RECKIÆ Cuneum habet autem ternario Laterculorum numero minutum: quasi Maiores veniant ex IIIarijs: aut III. Legionè Romana: seu ob III. Viratum sæpius aditum, glorientur. Alioqui vetere Antiquorum Germanorum vocabulo HEROEM dicebant Cim Necf. Atque ita Domus Reckia, non tam appellative; quam proprie, nominatur HEROINA: cuius videlicet Primigenii Autores nomen il-*

lud, cæteroquin aliis quoque Illustribus Viris in Latina, Græcaque lingua, commune; in Germanica sibi tanquam proprium, suis Heroum facinoribus adepti, hoc ipsum Posteritati suæ, Virtutibus item Heroicis tuendum, & ampliandum reliquerint.

Præclaram hujus Græci Nominis Ηρωῖς, & Latini HEROIS Etymologiam Heroibus notandam ex suo Gaza, Oniadæ suo præsentabat Erato Græcanica, derivans illud *ἄπο τῆς Ἐρωτῆς ἐπιγνετῆ, καὶ εἰς κἀλλῶς θεῶν ὀρώωντῶ, καὶ ἀνατεινοῦσιν εἰς τὸ ἄκρον ἐφερόν.* scil. *Ab Amore laudabili Pulchritudinem Divinam intuente, ac in sublime quid appetendum intento.* Vbi acriore visu observandus ille spiritus tenuis, ut Grammaticè cum Gaza loquamur, vocalem brevem τῆς Ἐρωτῆς, afficiens: inde porro in Spiritum densiorem τῶ ὀρώωντῶ proficiens, ut ex duabus brevibus vnam longam *ὄν τῆς ἠρώωσι* denso spiritu aspirandam conficiat: insinuans veri HEROIS Amorem sursum per aspera tendere in Deum, cuiusque pulchritudinē Virtutis Heroicæ Ideam Heroicis operibus exprimendam. Cui Etymologiæ mysticæ non abludebant illa HEROINÆ DOMUS RECKIÆ sursum directæ, velut in cælum arrectæ, INSIGNIA.

Sed inter Mulas illa curiosius intuentes controversum erat. Quid rei, Ternio ille pro suis, in hoc Scuto RECKIO, Heroibus adumbraret? Columellas aliquæ putabant; nonnullæ Trabeculas: utrasque scil. Imagunculas Heroum, à quibus Respublica, velut Columnis, vel Trabibus fulciatur. Clio, & Calliope, in Heroum antiquorum historiis versatiores, illam supra memoratam de Laterculorum Ternione comprobabant, reliquis tandem consentientibus, sententiam: cui valde probabiliter suffragabatur Dion Nicæus, in Historia Cæsaris Augusti, cap. 9. indicans, Laterculos ex aciebus Romanæ Militiæ armatis in Militum Romanorum Arma, seu Insignia Gentilitia promanasse: ait enim; *Qui sunt gravioris Armaturæ, quique Scutis longissimis utuntur, ad Legionum alas in Acie formandas instructi, reliquos instar Laterculi circumdant;* ita ut Equestres Alæ fuerint quasi Laterculi oblongiores, Aciei pedestris Latera suis in Ordinibus conformantes, & conservantes: Hipparchæ autem hujusmodi alarum Præsides, ac Duces, pro suis Insignibus, Laterculos tales in suis Cuneis, velut in apertis Campis, ad pugnam ordinatos assumpserint. Vt ut sit, HEROVM erat, præsertim **III** Virorum, & **III** ariorū, cuiusmodi Alis, & Amicam suorum interius, & Inimicam hostium exterius Aciem, ita continenter observare, ut & altera propugnari; & altera oppugnari assiduissimè intenderetur.

Quod Acies in pugna corporea, id ipsum est in omni HEROIS, tum actione, tum perpeffione, ordinaria legitimè contra illegitimum Antagonistam dispositio. *Militia*, inquebat Heroicus ille Miles Iob, libri sui cap. 10. 1. *est vita hominis super terram*: & Archistrategus ille Paulus Apostolus Mysticam Veri Herois Militiam, ab illa corporea secernens ad Ephes. 6. 12. sic eisdem alloquitur: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem; sed adversus Principes & Potestates: adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in caelestibus.* ubi Bellum tanto periculosius; quanto subtilius: ubi non tam Corporis Viribus; quam Virtutibus Animi Res agitur, & peragitur: ubi tandem sola Virtus Heroica in Acie fortiter subsistens coronatur.

Ejusmodi Heroum, in HEROINA ONIADÆ Nostri Domo, ut Recentiores

res non defunt; ita nec Antiquiores defiderantur: nec hi Nepotum; nec illi Majorum suorum atratis, & fumosis, in Vestibulo suo, Imaginibus egent, quibus intuentium oculos fascinent. Vtrique tamen utrinque suos, vel Majores, vel Nepotes, adornando ita cohonestant extrinsecus, ut malint secum intus habitare; quam semetipsos extra quærere: sua nimirum cuique propria Virtute contenti Heroes: quibus Vesta sua Terrea, scil. Mater Natura veram Humilitatem; Ignea vero, nempe Gratia Divina sublimitatem Christianam ingenerat: secundum quam velut Christiani, tum in Sago; tum in Toga Heroes suis, & Armis, & Consiliis, & honestissimis gravissimarum Dignitatum officiis irradiati, à pluribus jam seculis, Rempublicam Christianam sic illustrant, ut re ipsa non minus; quam nomine sint Germani Heroes, qui suæ Domus & Antiquitatem, & Nobilitatem, suis non tam Insignibus, quam Facinoribus, prout olim & hæcenus; ita etiam num pariant, & porro parturire non abstant.

Evidens hujus tam Illustris Elogij testimonium, ut alia, seu paria, seu minima omittantur, habere licet à Serenissimæ Domus Austriacæ Principibus: quorum quis erga Domum RECKIAM, Sensus, & Affectus existat, non ita pridem suo declarabat effectu Modernus Imperator Ferdinandus III. cum Anno 1637. 15. Novemb. peculiari Decreto suo, Generosum Dominum Baronem IOANNEM de RECK, ONIADÆ Nostri Majorem Patruum, Aulae tunc Imperialis Consiliarium, pronunciabat, futurum porro ejusdem sui Consilij Aulici Præsidentem: Sicut & Anno 1640. 9. Febr. alio iterum Decreto, eundem Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarium intimum nominabat: ob singulares, ut in Decretis exprimitur, illius Personæ Qualitates, in rebus omnibus, humillimo, fidelissimo, sincerissimo affectu, effectuque utilissimo, peragens: jam dudum hæcenus, observatas. His Filij sui FERDINANDI III. Decretis, ejusdem Parens Imperator Ferdinandus II. ante jam serio præluserat in suo Diplomate, quo eidem IOANNI, tunc item Aulae Imperialis Consiliario, Ratisbonæ Anno 1623. 4. Martii, Baronis titulum imperiebatur, ob egregias videlicet illius RECKIÆ, tū Personæ, tum Familiæ dotes, quas ingenua, & ingenita liberalitate, sibi, suisque Maioribus, S. R. Æ Imperij Capitibus, pro eiusdem Imperij statu restaurando, servando, & amplian-do, etiam cum vita, & sanguine profudissent. Dignum sanè tanti Cæsaris Diploma, cujus mentio hisce Nostri ONIADÆ Hieropolitanae auspiciis, pro memoria, & imitatione Familiarium posterorum excitanda, inseratur. Omissis aliis, ea quæ potissimum huc faciunt Diplomatis verba, ex Idiomatico Alemannico latinè translata summatim delibasse suffecerit, apposito in Rei memoriam scorsim hoc Titulo:

DIPLOMATICVM IMPERATORIS FERDINANDI II.  
de Antiqua & Nobili Domo RECKIA, Testimonium.



*Vm Nobis, & Imperio Dilecti, ac Fidelis Joannis de Reck, in Aula Nostri Imperatoria Consilij, Genus Antiquissima Nobilitatis: & Insigne Ordinis Equestris Membrum, gratiosissime attendentes ponderaverimus: In primis verò ex locis diversis, præcipuis, ac fide dignis, acceperimus: quomodo eius Maiores à sui Nominis, Stemmatibus, ac Generis exortu, Clypeo, & Scuto, plurimè abhinc, & hominum memoriam superantibus annis, Nostri pijsissima recordationis Maioribus, Romanis Imperatoribus, Regibus, &*

*Sacro Imperio, ut & Laudabili Nostra Domui Austriacae, tum Belli; tum Pacis temporibus, in variis præcipuorum, & summorum Officiorum perfunctionibus, Generosa corporis, & Animi: sanguinis, & vite, pro Imperij Bono devotione, Virtutem suam Heroicam demonstravit. Prout nec ignotum est, quomodo pia memoria Joannes de Reck, Ordini Teutonici Magister XLIII. in Livonia, sub annum 1549. illam Provinciam adversus Hostem Potentem, Magnum Moscoviae Ducem, pro S. R. Imperio singulari sum laude, ut Strenuus, Bellicosus, & Victoriosus Heros defenderit, & conservavit: prout nec ignotum est, quomodo supra memorati Joannis, Nostra Imperialis Aula Consiliarij Avvius, Theodorus de Reck, Imperante Carolo, huius nominis Quinto, suam pro eius Maiestate, in bellicis officiis, inde ab initio, adversus tum temporis Regem Franciae, sicuti deinceps adversus Hereditarium Christiani Nominis Hostem, Turcam Solymannum, in, ac post Metropolis Nostrae Vicennae obfidionem, Generositatem suam Heroicam nobis Gloriosam exhibuerit.*

*Nec ignotum est, quomodo eiusdem supra memorati Joannis Patris Theodorus de Reck, Cliviae, & Marcae Consiliarius, utriusque Civitatis Vnnensis, & Camensis Satrapa, pia memoria, Nostra etiam Dilectissimis Dominis Cognatis, & Maioribus, inprimis Caesari Rudolpho II. piissima recordationis, & Laudabili Nostra Domui Austriacae, in Provincialibus, & Imperialibus Comitibus, pro stipendijs Militum, & stipendiantibus contra Hereditarium Christiani nominis Hostem Turcam preparandis: & gliscentibus, ac praedominantibus in Burgundia, & Germania inferiore tum multis periculosissimis ab Imperio advertendis, insignem suam Fidelitatem, & utilissimam operam saepenumero praestiterit. Quo Fratris exemplo, laude sua dignissimo inductus Theodori Fratres, Jodocus de Reck, vitam suam in defendenda, & liberanda primaria Hungarici Regni Nostrae Munitione Granensi, Heroico impetu terminavit. Virumque Fratrem simili Affectu exprimens illorum genuinus Frater, Henricus de Reck, Clivensis Ducatus Archisatrapa, suam erga Imperium, & Maiores Nostros, tum Provincialibus, tum Imperialibus Comitibus, Fidelitatem, Sinceritatem, & Industriam singularem, prout ex diversis Imperij constitutionibus patet, multifariam demonstravit.*

*Vnde iuxta praedictam Virorum, tam Insignium Famam à Nobis consideratam, consideravimus item singulariter bonas Virtutes, insignem quoque Rationem, Dexteritatem, ac Experientiam, rarasque Ingenij Dotes, quibus antedictum Nostrae Imperialis Aula Consiliarium Joannem de Reck, ornatum, iam pridem novimus: inprimis vero admodum grata, fidelia, sincera, eximia prompta, indefessa, utilia, & fructuum plena eiusdem officia, quibus ille proposito sibi valde laudabiliter Maiorum suorum Exemplo, in Camerali Nostrae Iudicio Spirensi, per annos plures, ut & in expediendis, tum ibi, tum alibi, summo labore, studio, & industria, pro Iustitiae Communi Bono, gravissimis Negotijs, in egregiam sui laudem, ac gloriam, sine ullo fastidio perfunctus est. Quamobrem Dilectissimus Nobis Dominus Cognatus, & proximus Antecessor piissima recordationis Caesar Matthias, praenominatum Joannem de Reck, in Sua Maiestatis, ac Dilectionis Imperiale Consilium Aulicum deposulare singulariter, & libenter asumere, non immerito permotus. Cui officio ipse non solum in ordinarijs quotidie occurrentibus Iustitiae causis abunde sati fecit; verum etiam praeterea extraordinarijs, gravissimisque Imperijs diligentissime intendit, Legationibus item varijs tum in Aulam Regiam Hispanam, tum ad Nostros, & S. R. I. Electores Principes, aliosque Status, in Comitibus Provincialibus, vel Imperialibus congregandos, ipse adhibitus peculiariter, usque ad Maiestatis Suae obitum, easdem non sine insigni laude, ac honore consummavit: in eiusmodi functionibus exhibens se talem, ut Causam habuerimus, eandem Nostrorum piissima recordationis, Dilectissimorum Dominorum Cognatorum, & Parentum Gratiostissimam Benevolentiam erga ipsum deinceps continuandi: assumendo ipsum ad ulteriora Servitia Nostra, quibus ipse cum submississima Obedientia, & Fidelitate sincerissima, in Nostrae Caesareo Imperiali Consilio, ut & in varijs Nostris ablegationibus, insigniter absque ullo radio, Placitis Nostris gratiosissime satisfaciens, ad commune Imperij, & Domus Nostrae Austriacae Bonum, haecenus perfunctus, & porro desungi quam optime, paratissimus est, &c.*

Ita Caesar FERDINANDVS II. de ONIADÆ Nostrae Majoris Patris, & utriusque Agnatis, Cognatis, & Majoribus, ex Domo RECKIA, velut Generosa Heroum Familia, Heroico gradu prodeuntibus. Darer fortè, si adhuc inter nos viveret, non absimile Diploma ONIADÆ suo, piissima recordationis, Princeps

Princeps FERDINANDVS ille Bavarus, suo videlicet, tot annorum, seu Consiliario intimo, seu expeditissimo Legato, seu fidelissimo in gravissimis, præsertim ad Fontes Paderæ tuendos, Negotijs Vicario. Sed Mortuorum laus, ut laudantibus convenientior; sic gloriosior laudandis: Inter quos hic merito recensendus, Vigilantissimus ille Ordinis Teutonici Commendans in Mülheim, NEVELINVS de RECK, Heros verè Magnanimus, in Historia Truchsesiana celebris ab insigni Constantia, & Animositate, qua Religionem Catholicam, illis afflictissimis temporibus, contra Truchsesium, ex Colonienfî Archiepiscopo Apostatam, generosissimè tutatus est: In cujus item fidelissima Tutela fuit, ejusdem, nimirum ex Patre suo, Nepos, tunc Pupilus, THEODORVS à RECK, postea ONIADÆ Nostri Pater, qui Heroicis Patruî Tutoris, aliorumque Majorum suorum exemplis incitatus, eorundem inhians vestigiis, insigni, tum in literis, tum in moribus profectu, eosdem profectus, longo rerum inter Magnates vsu, & prudenti Consilio, Heroicos eorundem Titulos, & Honores affecutus est: dum Integerrimus, Fidelissimusque, duorum Serenissimorum Principum, scilicet Ferdinandi Bavarî, Archiepiscopi Colonienfîs: & Wolfgangi Wilhelmi Palatino Neoburgici Consiliarius, in publicis & Provinciarum diversarum, & totius Imperij Comitij, Magno Reipublicæ Christianæ Bono, versaretur adhuc vivens: gloriose porro vita sua mortali defunctus, Immortali gloriæ suæ illam addat, quod in afflictô Patriæ Nostre Paderanæ statu, singularem, ut ominamur, PATRIÆ PATREM futurum, sibi cognominem Filium suû Primogenitum, reliquerit, universæ Patriæ hoc titulo Memoria dignissimus: ideoque dignus per suos inferi Paderanis Nobilium Heroum Stirpibus: qui ex Marca sua, RECKIÆ Domus Heroinum Genium in suis Generationibus, tam Sagatum; quam Togatum, ad Padifontes ampliandos insigniter ampliatum transportarit. Herois Calliope, suum illud Augurium, Nymphæ Padifontanæ hæctenus afflictæ, in solatium, versu Heroico, sic ex tempore, quasi *ὁ θεομαστὴς* accinebat:

Eja, Europæas inter non infima Nymphas  
 Padera, Nimbofis toties hucusque procellis  
 Exagitata, quiesce: sat est: ait Heroïnus  
 Ille, Sagoq; Togaq; potens, in utroq; probatus,  
 Reckiadam Heroum Genius: dedit ille Potentes  
 Consilij, Armisq; Viros: dedit ille Quirinos  
 Imperio; dedit ille Numas: Consû ille maritans  
 Bellonæ; Martem Themidi: foecundat utrosq;:

O quantos Genius, quâ formidand⁹ in Hostes!  
 Fulmineo Generosus equo, per tela, per hastas,

per

Per sclopos, gladiosq;, per horrissonantia circū-  
 Quaque suis Tormenta globis interritus Heros  
 Ibat ovans, strageſque dabat : quas longa retexat  
 Posteritas, niveisq; canat Victoria pennis.

O quantos Genius, quam circumſpectus in  
 Ingenio ſublimi acer: ſubtilis acuto (Hoſtes!  
 Iudicio: Ratione ſagax: moderante profundus  
 Conſilio; Affectu ſincerus, & Integer: Amplus  
 Eloquio, Suada Pericles; Tolerantia Vlyſſes:  
 In Campum ſimul, atq; Forū Dexte rrimus ibat:  
 Ibat Bellator: mox Debellator abibat: (cus  
 Nunc Belli; tunc Pacis Amans: Belli Hoſtis; Ami-  
 Pacis: & in Pacem ſua bella referre paratus;  
 Tu Pacem; non Bella petis: Mihi Pacis amanti,  
 Bellatum ſatis eſt, inquis: deſidero Pacem.

En Princeps tibi Pacis a deſt, tibi præſentatus  
 A Genio, quem Nympħa times, quaſi Progeni-  
 torem

Heroum, quos Pallas alat, Mavortis alumnos.  
 Sit procul ille timor: Genium tibi Pacis amicū,  
 Pallas oliviferis Muſarum emittit ab hortis,  
 Progeneratorem herois, qui Martia bella  
 Contemnens, maiora ſuos meditat in hoſtes  
 Prælia, Divino graditur cataphractus amiçtu;  
 Quo ſibi, quoq; ſuis Pacem afferat; ecce propin-  
 quans (A vitæ

Huc, Princeps Tibi pacis a deſt; tibi Sponſor  
 Pacis a deſt, pacis Sponſus tibi deſponſandus,  
 Pacificator a deſt, tibi dudum optabilis Heros,

Sive

Sive Sagum tua, sive Togam Res postulet: Armis  
Ipse Novis Generosus adest, quibus instet, ut  
Hostes

Opprimat internos; externos arceat: Urbem  
Ipse tuam, Laticesq; tuos, Plateasq; Domosque:  
Ipse tuas Ædes Divisq; Deoque dicatas  
Instauraturus, Faciem tibi reddet amoenam.

ONIA DEN visura tuum es: qui secula reddet  
Prima tibi: ac prisca revocans ab origine, lapsa  
Tempora, moerorem Populo deterget a dultum.  
Pœna, Timorque aberit servilis: amore suavi  
Omnia procedent: non vincula sæva rebelles  
Constringent Proceres: non Iudicis ora timebit  
Plebs, facilem placido cernens in Iudice Patrem:  
Hic Patriæ PATER almus erit.

Et Nos, ô Musæ, quid non speremus ab ipso?  
Ipsus hic est, Nostri, ipse hic est, Heliconis Alu-  
mnus: (tricum

Buchonidum; ut nostis, quondam Decus, & Nu-  
Gloria Moganidum: quem nunc veneramus A-  
lumnæ

Paderides Musæ, Patronum, Almūq; Parentem.

Sic HEROI suo accinentem Heroida interpellans Nympha Paderis, a-  
vidius intelleturiebat, quibus tandem viis, Musarum Buchonidum, Mo-  
ganidumque ductu, ille sibi desponsatus ONIADES, ad ejusmodi Sponsalia  
devenisset. Huic tam honesto desiderio, statim à Musis obtemperatum: Pal-  
lade lubenter annuente, ut eadem viâ suum rediretur ad ONIA DEN Typi-  
cum, in Antitypo exprimendum: intelligi enim desiderabatur,

ONIA DÆ NOSTRI, AD INEVNDAM  
suam Hieropolitarchiam, prævia  
Institutio.



Ræclara Nobilium Indoles, absque Institutione, quasi vberior gleba sine cultura sylvescens. Vnde nonnumquam; imò sæpè, ut Græcum Adagium habet: *Αυλὴν Ἡρώων τίκτει Πύμαα*. *Filij Heroum Noxæ.* Quin imò, Aristides in suo Heroe Cimonè, Miltiadis Herois Filio, dicere audebat: *Est quasi Fatale quid, ut improbi Heroum sint Filij, & à virtute paterna degeneres.* Causam illius aliam Physiologi, & Physiognomi; aliam Meteorologi, & Horoscopi; sed probabiliorem inter alias, Ethici afferunt, neglectam Indolis Heroinæ Institutionem. Vnde non absone Poëta Venusinus Od. 4. lib. 4. de Drusi, sub Augusto, Institutione canebat:

*Fortes creantur Fortibus, & Bonis.*

*Est in Iavencis, est in Equis, Patrum*

*Virtus: Nec imbellem feroces*

*Progenerant Aquila Columbam.*

*DOCTRINA sed vim promovet insitam:*

*Relig. cultus Pectora roborant:*

*Vt cunq; defecere Mores,*

*Dedecorant bene nata Culpa.*

Idipsum eleganter Plutarchus in suo de Liberis educandis Libello, per frugiferam agriculturam explicat, in qua, & Solum, & Colonus, & Semen, omninò frugi requiratur; Naturam Solum, Colonom Institutor, Semen Institutio repræsentet. Vbi Parentum imprimis negligentiam: circa Liberos arguit insigni Crætetis Philosophi Thebani Elogio dictitantis: Se si posset fieri, conscenso vrbis loco altissimo, inde proclamaturum: *Quo tenditis Hæmines? qui opibus comparandis omnem impendistis operam: Liberis vestris, quibus vestras opes relinquereis, nullam, seu per parvam curam impendistis?* Addit ex suo Plutarchus: Eiusmodi Parentes illi non esse absimiles, qui Pedem nihil curans, de Calceo valde sit sollicitus.

Longè accuratiorem ONIAS ille, Typici ONIADÆ Pater, circa suum Filium sollicitudinem prudenter adhibuerat: ut quem sui Ducatus, & Pontificatus Israelitici Hæredem instituendum ominabatur, eundem hoc Titulo dignis & Literis, & Moribus, institui curaret. Quamprimum ergo per ætatem licuit, illum Scholarchis, & Rabbini Hierosolymitanis tradidit exercitandum, in Domo Sapientiæ, quam Proverb. 9.1. Sapientissimus Rex Salomon, in Monte Sion, impensis Regiis olim construxerat; Posterius ab Assyriis destructam instaurarant: ut inibi ab ipsis *Ἱεροπολιταρχικῆς* exercitatus, insignis aliquando Gentis suæ Hieropolitarcha evaderet.

Similiter ille Antitypi Nostri ONIADÆ Pater, vt exactus Heroicarum, quas à suis Maioribus, quasi Hæreditarias præstabat, Virtutum, & Observator, & Imitator, eadem vt Heroicum ab Heroibus eveniens Patrimonium, Filio suo Primogenito, THEODORUS THEODORO, velut Agro spei magnæ, singulari cura, insitas peroptabat. Sciens porro ab ipsa doctus Experientia, Vir prudentiâ eximius; Virtutem absque Doctrina perfectam Heroidem, non existeret: Pallademque Armatam ex Iovis cerebro esse progenitam, à Musis tenerioribus Filiolo suo auspicandum statuit. Atque ita Noster ONIADES adhuc Puer, à suo Patre, sua ex Patria, in alienas Regiones amandatus est: Nimirum Prænobilis Genitor, Prænobilem suam Progeniem, ut excellenter

cellenter aliquandò in sua Nobilitate patriffaret; Musis, & Virtutibus Patriitiis, verè nobilitantibus erudiendam committit: Non illis Marcæ Patriæ suæ, iam per Lutheranam Hæresin corruptis, & adulteratis; sed integris adhuc, & illibatis Viraginitibus, Romanæ Fidei Præsidariis, Germanæ Nobilitati, summo cum fructu desponsandis: quas nempe Summus Pontifex Gregorius XIII. Nobilium Germanorum liberalissimus Mecænas, & vigilantissimus Pastor, suis ad Fuldam, in Buchonia, sumptibus collocatas, paternè dotarat, ut ibi perpetuum à Societatis Iesu Collegio Seminariū, pro Germana Fide, simul & Nobilitate, conservanda, foveretur.

Huc ergo THEODORVS Noster, adhuc THEODORVLVS, instar Nobilis, ac tenellæ Plantulæ, iam periclitantis, ex patrio Deserto, in Hortum transferret PONTIFICIS, vt aliquando fieret PONTIFEX. Iam tū adhuc in Puerio virebant, virebant, efflorescebantque foris, quæ latebant intus, non tam Pueriles, quàm Viriles, ac Heroici, ut Nostræ Musæ contestantur, Spiritus: Nam & huc pertinebat illud Christi, ad Nicodemum Magistrum in Israël, hoc ignorantem, quod dicitur Ioan. 3. 8. *Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat.* Suos vnaquæque Anima, præsertim Herois, in Corpore suo patitur, & agitat, huc illuc aspirantes Naturæ suæ Igniculos, quibus per alia Elementa non nihil temperatis, Heroicum Temperamentum, quasi Templum Virtutis, & Doctrinæ Augustū instruit: prout suis iam tum suos Commilitones instruebat Exemplis Noster ONIADES: qui suum, erga suas Musas, & Virtutes Christianas, in Buchonico ad Fuldam Gymnasio, Prænobilem Spiritum indicis magis, & magis exercens, intra septennium ibidem vniuersæ Literaturæ Humanioris Encyclopædiâ consummatâ, inde ad Nobilissimam Auræ Moguntia Vniuersitatem animosè progreditur: inibi suam Generis, & Genij Heroici Nobilitatem, quam Fuldæ in Grammaticis, Poëticiis, Rhetoricisque Scholis GræcoLatinis, probatam habebat, deinceps in absoluta Rerum Humanarum, Divinarumque scientia consequenda probaturus: nec malè probavit: nempe in publica solennium Disputationum arena, tum aliena oppugnando; tum sua propugnando, sic probatus, ut Heroico prævio exemplo, viam sequacibus Heroicè probatam, Heroizantibus Nobilibus Adolescentibus reliquerit: qua possint eodem, si velint, cū ipso pertingere, ut inde ulterius cū eodem, quàm honestissimè assurgant.

Ita Musæ Nostræ, tam Buchonides, inferiorum; quàm superiorum Præsides Scholarum Mogonides, Nostrò attestantur ONIADÆ: vtræque suum olim Gratosum Clientem; nunc Gratosissimum Patronum, submississimè honorantes, eidem unanimi ore concinebant:

**Hic meruit veræ sibi Nobilitatis Honorem:**

**Hunc Genus, & Genij nobilitavit Honor:**

**Tu Nobis aliquando Cliens; Nunc esto Patronus:**

**Musæ id Buchonides, Mogonidesq; rogant.**

**Addunt Paderides; Nobis THEODORVS es Alter:**

**Ille fuit Primus; Tu Pater Alter eris.**

Iam Sapientia in ONIADE Nostro ædificaverat sibi Domum; exciderat Columnas Septem, Artium Liberalium, totidemque Virtutum, partim Theologicarum; partim Moralium repræsentatrices. Interim ab ipso Pythagorica Litera, Herculisque Bivium sollicitè considerabatur. Hinc Mundi, Carnisque Prudentia, Diabolo aurigante, suaviter blandiens; inde Prudentia Spiritus, adjuvante Spiritu Sancto, efficacius adurgens, instanter oppugnabant intermedium ONIADEM, ut eundem alterutra sibi Corrivalem ascisceret. Ita duellantem utrinque, pro eodem Iuvene sibi despondendo, inde Carnis; hinc Spiritus Prudentiam, dirimens Virago Sapientia, consentiente sibi, & Herois instar cooperante ONIADE, animata; Meus, aiebat, Hic SPONSUS est, ab æterno Patre mihi destinatus: & ad suam Duellatricum alteram, Spiritualem Prudentiam conversa: Tu, inquit, mea Prudentia; eundem, prout hætenus, ita deinceps, tibi commendatum habe: Majora illi adhuc pro Deo suo debentur certamina. Scilicet futurum erat, ut figuram Typici ONIADÆ exactius adimpleret,



Imirum vterque Noster ONIADES, hætenus in Literarum Virtutumque Scholis, alter Israeliticis; alter Christianis, exercitatus nobiliter: ambo cæterorum alias; nunc & summet ipsorum Nobiles Victores: ambo suis, & onerati, & honorati Nobilissimis cum Sapientia Divina Sponsalibus: ambo iuxta suam Legem Sacerdotes: ambo Sacerdotes Magni facti sunt. Alter ille SIMON, Oniæ Ducis, apud Israelitas, & Pontificis Filius, eorundem Dux, & Pontifex, sub antiqua, & antiquata Lege Sacerdos: Alter hic Noster ONIADES illi Antitypus, sub Lege nova, & innovata, FERDINANDI Magni Baviaræ Ducis, Religiosissimi suorum Patris, ut spiritualis Hæres; ita Filius, quasi adoptivus: hinc & ab illo verè Magnus, & maiore titulo, Sacerdos Magnus: hoc nempe titulo Simonem illum typicum ONIADEM vivacius repræsentans.

Mirum videatur alicui, Ecclesiasticum Hagiotypographi Nostri Archivum oculatius perlustranti: Cur inter quadraginta tres Israelitarum Hierarchas, & illorum sex posteriores Hieropolitarchas, (tot enim ad Simonem vsque Oniaden, inde à primo Aarone dinumerantur) ille Oniades, post Aaronem, & Iosue Filium Iosedec, unus, solusque, Typis ab Hagiotypographo Ecclesiastico peculiaribus honoretur. Sed in promptu causa est oculatoribus: Quemadmodum enim, proh dolor! sub Lege Nova; sic & sub Antiqua, ut Autor imperfecti, apud S. Chrysostrum hom. 43. in Matt. cap. 23. recitatus in Iure Canonico, dist. 40. can. 12. præclare differit his verbis: *MULTI SACERDOTES; ET PAUCI SACERDOTES. Multi nomine; Pauci opere. Videte igitur, Fratres, quomodo sedeat in super Cathedram: quia non Cathedra facit Sacerdorem, sed Sacerdos Cathedram: qui bene sederit super Cathedram, honorem accipit Cathedra;* qui

*qui male federit, iniuriam facit Cathedra.* An, Quot, Quanti, Qualesve SACERDOTES fuerint illi quadraginta quinque, ad Nostrum vsque ONIADEN, Paderbornensis Cathedræ hæctenus, seu Inseffores, seu Possessores: non est nostrum hic examinare curiosius; necdum arrogantius iudicare: ONIADÆ Nostro, eorundem in eadem Cathedra Successori, & Paderbornensi Antistiti XLVI. id satis perspectum, quod similiter dici potest: *MULTI ANTISTITES; ET PAUCI ANTISTITES.* Hieropolitarchæ pauci, & multi: pauciores Hierarchæ: plures Politarchæ: non tam Hierarchiæ, quàm Politarchiæ inhiantes, appetentesque non tam insidere, quàm possidere Cathedram.

At sine Gradibus in eiusmodi Cathedram legitime non ascenditur: gradatim, non statim ascendendum Homini, præsertim Ecclesiastico, insinuat Apostolus; 1. Tim. 3. 6. Ab Episcopali Cathedra prohibens, non solum *vinolentum, aut percussorem, aut litigiosum, aut cupidum;* sed etiam *Neophytum:* eiusdem Causam prudenter addit, *Ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli:* per arrogantiam scilicet Diabolicam, ex novitate potestatis repente in altum elevatus, inde cum Diabolo in abyssum ruiturus. Cavit hanc Neophyti repentinam sublimationem, ONIADÆ suo intentus Deus, quando eundem iam tum à teneris unguiculis Infantem, Puerum, Adolescentem, Iuvenem, Virumque Nobilem, futurum aliquando Hieropolitarcham, pro sua, ut eventus docuit, Paderbornensi Ecclesia, per suos in omni genere Literarum, & Virtutum Administratos, paulatim efformabat. Vnde jam veteranus Christi Alumnus, Paderbornæ quasi Neophytus, videlicet ibidem adhuc recen- ter in Domo Domini plantatus, mox Capitularis inter suos, in Cathedrali Ecclesia paderbornensi, Canonicus: nec diu post, ætate quidem Iunior; sensu tamen cano maturior, Seniorum in sua Ecclesia DECANVS, saniore consilio eligebatur, post annos aliquot in hac ipsa Ecclesia futurus PRÆPOSITVS: ut sic paulatim susceptis Ecclesiæ Oneribus honoratis, & oneratis Honoribus, ad excipiendum Onus Honoratissimum, & Oneratissimum Honorem, Episcopi non tam Honoribus; quam Oneribus acceptandis inescaretur.

HEROICÆ Nobilitatis est, Oniadæ nostri Herois exemplo, Magna Onera insigni Honore digna, per Heroicam Virtutem aggredi: Honorem porro inde oriundum, si denegetur, non ambire; si offeratur aspernari: nec nisi pro Dei gloria, & Proximi salute, Honorem Oneratum, seu Onus Honoratum admittere. Ita 1. ad Timoth. 3. 1. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*: Vbi Gloss. OPVS, non Dignitatem, inquit. unde quis intelligat: Non esse bonum Episcopum, qui desiderat PRÆESSE; non PRODESSE. Hinc Apostolus Timotheo suo inferebat: *Oportet ergo futurum Episcopum irreprehensibilem esse, suæ Domui bene præpositum: Si quis autem Domui præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebis?* Nos ONIADÆ Nostro inferamus: Oportet ergo illum esse Paderbornensem Episcopum, qui suam, tum DECANVS, tum PRÆPOSITVS; & domi, & foris, irreprehensibilem diligentiam, Paderbornensi Reipubl. tam in Politicis, quam Ecclesiasticis, iisque gravissimis negotiis rectissime constituendis, accuratissime probavit.

Hæc Vox illativa, non folius Musæi nostri; sed Vox Cleri, Vox Populi, Vox Infimorum, Vox Summorum totius Patriæ Civium, & Incolarum, talem suum ONIADEN ad suam Cathedram ascendendam deposcentium. Vnus ille, tanquam oneri tam honorato inhabilis, contra protestari, obtestari,

ri, deprecari, suos ad id oneris deportandum Suffragatores, ut in alium digniorem illud transportare non dedignarentur. Interim porro, ut & Vox DEI potissimum exploraretur, ad id ipsum diebus iam compluribus, per indictas, ejusdem ONIADÆ Nostri ad huc Præpositi, Auctoritate, publicitus communes omnium preces, Divina Spiritus Sancti aspiratio unanimi perseverantia implorabatur: nec illata Vocis aliqua sese prodebat, vel humanitus, vel divinitus exorta, immutatio. Sic igitur omnibus aliis enixè connitentibus obnitens frustra unus, & solus ille Noster ONIADÆ, ne communi omnium Voci resistendo pertinacius, Divinæ Voci resistere videretur, tandem, quod instanter urgebatur, humiliter illachrymans permisit, & admisit: præclaro sanè tam Dominorum Eligentium; quam Electi ONIADÆ Nostri exemplo: Vtinam semper ubique, similiter à similibus dato: certè laudabiliter à Posteris imitando. Cujus velut exemplar in Ecclesia primitiva descriptum exprimitur in Cod. lib. I. tit. 3. §. 31. de Episcopis, & Clericis: ubi recitantur huc pertinentes, notatu dignissimæ

## LITERÆ IMPERATORIS LEONIS I.

### De Instituenda Electione alicujus Episcopi.

Impp. Leo, & Anthemius AA. Armasio Præfecto Pratorio:

**S**I quenquam, vel in hac Regia Urbe, vel in cæteris Provinciis, qua toto orbe diffusa sunt, ad Episcopatus gradum provehi, Deo Autore, contigerit: puris Hominum Mentibus, Nuda Electionis conscientia, sincero omnium iudicio, proferatur. Nemo gradum Sacerdotij, pretij venalitate mercetur: quantum quisque mereatur; non quantum dare sufficiat, aestimetur. Profecto enim quis Locus tutus, & quæ Causa esse poterit excusata, si Veneranda Dei Tempia pecunijs expugnentur? quem Murus Integritatis, aut Vallum Fidei providebimus, si Auri Sacra Fames in Penetralia veneranda proferpat? Quid denique cautum esse poterit, aut securum, si Sanctitas incorrupta corrumpatur? Cesser Altaribus imminere profanus Ardor Avaritiæ: & à Sacris Adytis repellatur piaculare Flagitium. Itaque Castus, & Humilis, Nostris temporibus eligatur Episcopus, ut quocunque locorum pervenerit, omnia vita propria Integritate purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab Ambitu debet esse sepositus, ut queratur cogendus, rogatus recedat: invitatus effugiat. Sola illi suffragetur necessitas excusandi: profecto enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus Invictus. Cum sane si quis hanc Sanctam, & Venerandam Antistitis Sedem, pecunia interventu subijisse, aut si quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici Criminis, & læsæ Maiestatis accusatione proposita, à Gradu Sacerdotij retrahatur: nec hoc Solum deinceps Honore privari; sed perpetuè quoque Infamia damnari, decernimus, ut eos quos par facinus coinquinat, & æquat, utrosque similis pœna comitetur. Datum VIII. Id. Mart. Constantinop. Marciano, & Zenone Coss. an. 469.

Huic Imperatoris Sanctissimo Edicto Sanctionibus Ecclesiasticis in sensum eundem conspirantibus, plane conformi, suam ONIADÆ Nostri Electionem Sincerissimi, ac Religiosissimi Electores, Populo univèrsò applaudente, complaudentibusque Musis, integerrime conformarunt: itaque Noster ONIADÆ huic item conformis Edicto, in Paderbornensi Ecclesia sua, DECANVS olim vigilantissimus, dein PRÆPOSITVS fidelissimus, denique, ut per omnia probetur, sit Reverendissimus EPISCOPVS, ac PRINCEPS Illustrissimus, Paderbornensium Hieropolitarcha, figuratus per Simonem illum Oniaden: qui erat sicut Nomine; ita & opere, Sacerdos Magnus, imo Maximus: quippe Summus Pontifex: Typus, & Figura Simonis Petri, sub

Lege

Lege Nova Summi Pontificis, eidemque succedentiũ , ut & omnium aliorum Episcoporum, ipsis non in Plenitudinem Potestatis; sed in Partem S6licitudinis Pontificiæ subvenientium: quibus tamen omnibus & singulis, quemadmodum nomen illud EPISCOPVS, ita & nomen PONTIFEX commune fit: esto magis, vel minus, quoad Pontificiam Iurisdictionem, illis tanquam Vicariis, ab Vno Summo Pastore communicatam, participetur: qua nimirum quivis Episcopus, ut Pontifex, tum sibi, tũ suis, PONTEM in cælum faciat: seu potius (ut subtilior Etymologia docet) singulariter in FACIENDO sit POTENS: maximè, si Potestatem Hieropolitarchicam participet: cui exequendæ Familiaris ille, supra expressus, ONIADÆ Nostri Genius, eidem suos Heroum Spiritus ingenerans, eundem, ut ominamur, Potentissimum in Faciendo exhibebit Pontificem, Hieropolitarcham Efficacissimũ, videlicet ab Heroica Virtute Cataphractum: Sic enim suæ Nymphæ ab ipso Genio, velut Paranymphe, repræsentabatur:



N tibi, RECKIADVM Genius, tibi,  
Paderana Nympha,  
Nuper Sagatus: prodit, en Togatus.  
En offert Heroa novum, Veterana  
Gentis ARMÀ

Suæ offerentem Trina TRINITATI,  
Quam Divina Monas complectitur: hanc in  
VNIFORMI,

Nec non Triformi, seu Laterculorum,  
Sive Columnarum, Trabium ve rubentiũ, figura  
Novis honorans Sangvinum trophæis:  
Sangvinolentus enim, Christo Duce, Christianus  
Heros

Victor cruentos apparat Triumphos:  
Adversum Carnis, Mundi, & Cacodæmonum  
paratus

Gradi Catervas, immoriq; Pugnibus:  
Pugnibus Heroum subtilibus: ac IIIvirorum  
Victoriosa Morte finiendis:

Vt sic

Vt ficad superas Heroica Mens, ab hisce Mundi  
Surgens Lacunis, evolet Tabernas.

Qualis, ubi ætherea Iovis Armiger educatus aura  
Iovi Satelles proximus Tonanti,

Affvetas cæli Regionibus experitur Alas:

Terram relinquens, immemorque Nidi,  
Celsa Poli repetit Penetralia: Fulminumq; late

Circum intonantes lustrat officinas:  
Exuperatque Notos Aquilonibus obvios pro-  
tervis,

Vtrinque obortos navigans per Imbreis.  
Talis it ONIADES Noster, quasi Gloriosus Heros  
Tendens in Alti Regiam Tonantis:

Armatus Galea, Gladioq; Peditq; Principali  
Non Martiali; verum Episcopali:  
Procedens Stygias Cataphractus in Hostium  
phalangas:

Vt Morte Vitam det Sibi, Suisque.  
Procedat Princeps, Dux, Pastor, Episcopus, Su-  
orum

REX Subditorum, & Pontifex Sacerdos:  
Grande Sacerdotis nomen tueatur, ut Sacerdos  
Magnus: potenter Pontifex faceffat,  
Et faciat, quæ Pontificis genuina, seu Facultas,  
Seu Fortitudo præpotens jubebit.



Huius Facultatis, & Fortitudinis Pontificiæ Typum Antitypo suo  
exhibet ille Typicus ONIADES Sacerdos Magnus, Qui apud  
Hagiotypographum Eccl. 50. 1.

IN VITA SVA SVFFVLSIT DOMVM:  
ET IN DIEBVS SVIS CORROBORAVIT  
TEMPLVM, TEMPLI ETIAM ALTITV-  
DO AB IPSO FVNDATA EST: DVPLEX  
ÆDIFICATIO: ET EXCELSI PARIETES  
TEMPLI.



Disputant hic rudiores, alij pro suis Politarchis; alij pro suis Hierarchis, Interpretes: An quid aliud per Domum; aliud per Templum intelligat Noster Hagiotypographus. Negant Zelantes pro suis Ecclesijs, Templis, & Basilicis, Hierarchistæ; affirmant pro suis æmulantes Domibus, Palatijs, & Mausoleis, Politarchistæ. Hieropolitarcha ille Typicus ONIADES ita Hierarchis addicit; ut Politarchis non prorsus abdicat: si quidē & ipse tum POLITARCHA; tum HIERARCHA; sed Politarchiam Hierarchiæ subordinans. Ergo velut HIERARCHA incipiens à DOMO DEI suffulsit eam in vita sua, & in Diebus suis corroboravit Templum: per suas nimirum PORTICUS & ANTERIDAS, ibi additas; hic adauctas: illic firmatas, & corroboratas: à quibus Templi Moles Hierosolymis in Monte Moria, per aream suam, ne quā forte paulatim, alicubi dehiscente sibi Fundo suo, fatisceret, continenter, simul, & constanter sustentabatur. Templi autem Fundamenti per suas tum Porticus; tum Anteridas, non minus operose; quam ingeniose consolidatis, in eisdem quoque ALTITUDINEM eadem opera promovendam subtiliter collimabat: dum Templi Altitudo, ut Hagiotypographus exprimit, ab ipso fundata est: duplex nimirum Ædificatio instituta: & sic Excelsi magis, quàm prius fuerant, constituti Parietes Templi: Vt sic aliquatenus prior illa Templi Salomonis facies revivisceret: quā videlicet Architectus ille Sapientissimus Rex Salomon, in sua quondam structura observarat, eruditus à Deo rerum omnium Architecto: *Qui omnia Sap. 11. 21. in Mensura, & Numero, & Pondere disponit*, IN MENSURA Modum, IN NUMERO Speciem, IN PONDERE finem rei vniuscuiusque instituens: unde compendiosum existat universæ, non Vitruvianæ, sed Hieropolitarchicæ Architecturæ summarium, cui rectè accommodetur illud Aristot. 1. de Cælo, c. 1. *TRIA SUNT OMNIA.* prout nimirum Sapientis Architecti omnes Rationes Architectonicas, in admirabili TERNIONE Architectonica, tam subtiliter; quam breviter, nimirum Sapientibus Architectis convenienter, adumbrat: videlicet Christianæ Politarchiæ Modus, Species, & Ordo, Mensuram, Numerum & pondus Hierarchiæ ita complectitur, ut sine hac, illa sui perfectam Ideam exprimere non possit. Vtriusque Figuram Typicam exhibebat illa Typici Oniadæ Vrbs Regia Hierusalem, in Monte Sion bipartito: cuius pars altera, nomine Mo-

ria, Domum Domini; altera sibi nomen commune Sion (quod Speculam hebraicè notat) retinens, Domum Regis, Populo, vallem intermediam habitanti, eximiè ostendebat. Sed utraq; Domus hæc, maximè Domus Domini, unde Domus Regis Politici dependet, suas requirit, & Porticus, & Anteridas: cujusmodi sunt, aiebat ille Mysticus Oniadæ apud Hagiotypographum Ecclesiasticum Interpres, Moguntinus Archiepiscopus Rabanus: *Doctores, Magistri, Professores, Divinarum simul, & Humanarum Literarum sinceri Traditores, à quibus, velut Columnis Ecclesiæ, admittentibus, & Architectantibus Episcopis, Fabrica spiritualis construitur, asurgens in Templum sanctum, & sanctam Civitatem.* Vnde paulatim circumquaque omnino sancta Christianis populis Hieropolitarchia dominetur. Quanelecta sensim absque sensu, & Politica, & Hierarchica Domina, suis Dominis pereant, intereant Principatus; Regna, & Imperia collabascant.

Vnde Nostra Regio Padifontana sibi non imprudenter congratulatur de Tali ONIADE suo: quem enim sibi olim DECANVM, PRÆPOSITVMQUE Fidelissimum probavit, eundè sibi Clementissimum Politarcham, Hierarchamque Pientissimum, & Consummatum in omnibus Hieropolitarcham futurum pollicetur. Idipsum Vna Musarum, velut Auguratrix ex Tripode sui Apollinis, Triadem istam, sive Laterculorum, sive Columellarum, sive Trabecularum, per Insignia Oniadæ sui expressam considerans, ingeniose conjectabat, hoc Augurio: Ecce Alter Theodorus Noster, qui suis Lateribus, quasi Tralibus Columnis, ut in suo Decanatu, & Sua Præpositura SUFFULSIT hæcenus DOMUM DOMINI; & IN DIEBUS Suis jam præteritis CORROBORAVIT TEMPLUM: in suo principali Episcopatu, deinceps magis idipsum corroborabit, & suffulciet, Insignium suorum Triade Hieropolitarchicam Architecturam perfecte adumbrans, & ut Architectus, Omnia in MENSURA, & NUMERO, & PONDERE, juxta Supremi Architecti Exemplar, legitime disponens. Placebat Musis Omnibus egregium Oniadæ suo, per sua Insignia, exhibitum Augurium: nec displicebat earum

Genitrici Mnemosynæ, in ejus Memoriam, sculptis ejusdem Insignibus, hoc suffigi Chrono-Mnemosynon:



En Is

aLter SIMon, gen VIn Vs OnIaDes, VerI  
OnIæ fILIVs, per sVa InSIgnIa eXpresVs.

COntemplans hæc Tua, Generosè Oniade, ARMA, & INSIGNIA, dicamne Lateritarum; an Tralium Columnarum Triadem? Vtrumvis

vis horum dixerō, nōn multum aberrarō : Nam & Acies ordinatæ suis A-  
larum Equeſtrium LATĒRIBVS, ut iam ſupra demonſtravimus : & Magna-  
tum Domus, & Auguſta Dei Tempſa ſuis TRABIBVS , & Trabalibus COLV-  
MNIS tum fulciri, tum corroborari ſolent. Illud obſervo, Lateritias illas, ſeu  
Trabales Columnas eſſe Dorici potius ; quam vel Ionici, vel Corinthiaci  
operis: nec ineptè: Nam, ſicut in Architectura ſua Vitruvius monet, DORI-  
CVM OPVS debebat ur Minervæ, Marti, Herculi, & Similibus , Virtute ipſa  
memorandis Numinibus hinc eiufmodi opus, neque laſcivioribus ſorum,  
ſeu foliorum ornamentis, neq; denticulatis coronis, neque guttulatis me-  
topis, nec vllis aliis oculorum deliciis, expoliebatur, ſed rudi potius, ac hiſpi-  
do aſpectu, Dignitatem Virilem, ac Heroicam, ab omni cultu alienam, præ-  
ſentabat.

VIR DORICI OPERIS, Minervæ olim Cliens, nunc Patronus: Martis,  
ex Maiorum ſuorum Martiorum Sanguine, Progenies: Vir Herculeus, imo  
ſuam Herculi clavam extorquens, ſuasque Columnas ternas VLTRA, & SV-  
PRA Herculis binas, glorioſè protendens, Heros, in quâ, Noſter Oniades, in  
ſuis Armis, & Inſignibus Doricis adumbratus, extraneis Additamentis in  
ſuimetipſius Architectura ipſe Architectus non indiget: Sibimetipſi per ſu-  
am à Deo Virtutem ſufficit: intra ſe totus habitans, extra ſe nihil ſui requi-  
rit: alienum nihil affectat, omnia per unum habitantem in ſemetipſo Deum  
inveniens: Vir enim, ut verbo dicam, hic adumbratur non Verſutus; ſed Sin-  
cerus, Rectus, & Simplex, omnem exoſus Hypocriſin, Duplicitatem abomi-  
nans, &, quidquid eſt inutilis Multiplicitatis, averſans: exterius Verbo, & O-  
pere talem ſe prodens, qualis eſt interius: ab omni dolo, fraude, aſtutia , o-  
mnino alienus. Hęc illius Doricæ Triadis Inſignia, Viri Dorici Arma, ſin-  
ceri Herois ſymbola: Hieropolitarchici Architectonis Inſtrumenta, Men-  
ſuræ, Numeri, & Pondera : quibus ſe ſuaque adverſus quoscuque Hoſtes  
incolumis tueatur: ergo

Superbæ Babylonis Architec̄ti,  
Fruſtratis Operis, periculofum  
Turris Culmen in Aſtra molientes,  
Noſtrum in Oniaden, in Architec̄tū  
Noſtrum Lumina Veſtra dirigantur:

Ecce DORICVS ARCHITECTVS omnem  
Complexus Fabricam tribus Colūnis,  
MENSVRÆ NVMERVM ſuum coaptat,  
Et PONDVS NVMERO: quibus III vir  
Ædem fulciat, in ſuperna Cæli  
Tabernacula rite promovendam:

Sed ad ejusmodi Promotionem rite instituendam opus est, ut ex hujusmodi Columnis, seu Trabibus, inter se transversim copulatis Rectangulata CRUX formetur, altera, & Principalis horum Insignium Pars, Operis item Dorici portio insignis, eximia ad illam Trabalium Columnarum Triadem proportionis: habet enim has illa sibi tam superne; quam inferne; quasi per Antithesin oppositas; subalternas per Hypothesin: per Synthesin ita conjugatas, ut quoad vivitur, nisi per adulterium sacrilegum abjugari, sejugarive non possint. Nempe Matrimonium est Spintuale inter Hierarcham; & suam Ecclesiam: inter Politarcham; & suam Hierarchiam firmiter CONTRACTUM, imo & Sacramentalis Ordinis Apice, Galeronimirum Episcopali, velut Militari Spiritualis Herois Galea, CONSUMMATUM.

Primos hujus Matrimonij Paranympchos, jam olim ejusdem Autores, habemus insignes duos Christiani Orbis Monarchas: alterum Generosum illum LEONEM III. S. R. E. PONTIFICEM; alterum MAGNUM illum CAROLUM I. Germani sanguinis IMPERATOREM: utrumque Anno Christi 799. ad Padifontes Nostros liberaliter hospitatū, insigni Paderbornensium gloria: qui exulantem Roma innocentem Pontificem, ibi per hostium suorum factionem, indignis modis vexatum, & oculis: & lingua mutilatum; sed ibidem à Deo statim prodigiose curatum, hospitio exceperint: Hospitalitatem suam Regiam illi exhibente Hospitalissimo Rege Francorum Carolo, tunc in Campis Padifontanis, Glorioso de Saxonibus, Westphalisq; subjugatis Triumphatore, mox futuro Imperatore: anno enim sequenti, nempe Christi 800. ipso die, quo Natalis Dominici memoria celebrabatur, prædictus LEO nec opinantem invadens, CAROLUM, Imperatoriam Capiti ejus Coronam imposuit, & Romanorum Imperatorem salutavit. Ergo CAROLUS ille Magnus Imperator, Suarum in Westphalia, & Saxonia Victoriarum memor, in memoriam earundem, Paderbornensī Ecclesiæ, ut Antiquior illorum temporum historia commemorat, RVBRAM CRUCEM pro Insigni relictam voluit: quod in ea primum Ecclesia, Westphali, & Saxones, cruentis nempe Caroli prælijs compulsi, sub hoc Christi signo, per hujus quoque Sanguinem rubente, in Militiam Christianam autorati essent.

Vt autem signum hoc, in quo vicerat, per suum ibidem Hierarcham posteritati conservaret, ipse VICTOR suam in Populum devictum Politarchiam, bellico iure sibi debitam, ipsi concessit, velut in DOREM SPONSÆ, ab ipso in cælestem Domum suam deducendæ. Huic Politarchicæ Autoritati Carolinæ suam LEO Hierarchicam conjungens, illud CRUCIS Insigne tanquam perpetuum, & Hierarchæ proprium designavit: aliud porro, & aliud, quasi temporaneum, suis temporibus ita permisit, ut hoc illi conjugatum, in quocunque tam privato; quam publico: tam Politico; quam in Ecclesiastico Negotio subjugetur. Atque ita Primus Ecclesiæ Paderbornensī Episcopus Hatumarus, origine Saxo, Vir Nobilis, Canonicus Herbipolensis, eximia Vitæ Sanctimonia præditus, anno Christi 795. eodem, quo supra nominatus LEO III. Pontificiam suam Dignitatem auspicatus, eandem ut Carolinus Politarcha, & Hierarcha Leoninus, vel potius quasi Leo-carolinus Hieropolitarcha, per quatuor & quadraginta Successores intermedios, huic Oniadæ suo transmisit ut illam, sicubi forte antiquata, seu labefactata

factata sit, suis Lateritijs seu Trabalibus COLUMMIS fulciat, corroboret, in-  
 staurer, ac dilatat. Illa enim Cura, & Sollicitudo Hieropolitarchica, priori-  
 bus quidem illis antiquis temporibus, à primitivo Ecclesiæ Spiritu exactior  
 habebatur; sed paulatim ita negligi cœpit, ut jam omnis fere Paderbornam  
 usque, in Saxonice partibus Hieropolitarchia, imo & Hierarchia evanue-  
 rit: nec multum aberat hoc Seculo, tum jam olim ab internis; tum adhuc  
 recenter ab externis Hominum factionibus exulcerato, quin & Padifonta-  
 na evanuisse: nisi THEODORUS ille prior Suis TRABIBUS FURSTENBERGI-  
 CIS Hosti oppositis: ejusque Successor LEO ILLE BARVARICVS, Oniadæ no-  
 stri prædecessor, quasi NOSTER ONIAS, per hunc suū ONIADEN suis obten-  
 sis RETIBUS, CRUCEM suam tutati, eandem incolumem adhuc, & Salvam-  
 eidem ONIADÆ SUO, Alteri THEODORO, suis item TRABIBUS jam erectis,  
 deinceps fulciendam, corroborandam, exaltandam conservassent.

Attendit, & intendit, velut ex Sionitica Specula, ONIADÆ Noster ille  
 Typicus; hic Antitypus, uterque ANTARCTICVS Hieropolitarcha, suis ad  
 Polum ARCTICVM qualibus quantis seu Hierarchis, seu Politarchis, videli-  
 cet ipsis maximè finitimus, ut adversus hos, illam CRUCEM suam, sibi à suis  
 Maioribus concreditam, suis tam infernè Politarchicis; quàm supernè Hi-  
 erarchicis ARMIS, & INSGNIBVS tueatur: tuebitur autem, prout iam tueri  
 cœpit, Insignia suæ Cruci, & Crucem suis Insignibus, ita conformans, ut  
 cum Apostolo Gal. 2. 19. verè asserat: *Christo confixus sum Cruci* Sic per Insignia  
 sua exaltatus, velut alter Christus, Iohan. 12. 32. *Omnia trahet ad se ipsum.* audietq;  
 illud Christi, ad suum Angelum Episcopum Philadelphicum, Apocal. 3. 12.  
*Qui vicerit, faciam illum Columnam in Templo Dei mei.*

Columnæ suam Domum, seu Ædem in altitudinem provehunt, & in-  
 latitudinem corroborant. Ejusmodi Columnæ Galat. 2. 9. in Ecclesia pri-  
 mitiva esse videbantur Iacobus, & Cephas, & Ioannes, Christi peculiare in  
 gravioribus negotiis expediendis Comites: in Palæstra Ecclesiastica Illarii  
 Pugiles: in Collegio Apostolico Illvii, per Divinam suæ Fidei, Spei, & Cha-  
 ritatis, energiam, in Primitiva Christianorum Ecclesia velut COLUMNÆ  
 TRABALES, firmique Lateres Domum Dei suffulcientes, & Christi Tem-  
 plum corroborantes, instar verorum ONIADVM, quos ille Typicus adum-  
 brabat Hierarcha, Hierarchas, & Hieropolitarcha, Nostri Hieropolitarcha  
 qui non vulgari more *Crucifixus* sit Mundo, ut quisquis alius Christi assecla,  
 sed ut Paulus, Gal. 2. 19. *Christo confixus Cruci*, velut eiusdem Discipulus, Apo-  
 stolus, Vicarius qui audeat subiungere, quod ab eodē ibidem subiungitur:  
*Vivo autem iam non ego; vivit verò in me Christus:* nimirum intimus mihi Amicus,  
 & ALTER EQ.

Idipsum ONIADÆ SUO, Hieropolitarchæ Nostro, sua congruè symboli-  
 zant INSGNIA, bis inter se coniugata, ut & altera subiungentur alteris, & al-  
 tera in alteris sibi mortua, Christo vivant, in Christianam Architecturam,  
 Templo, & Vrbi Paderbornensi, salutarem. FORTVNATVM profecto in VR-  
 BE SUA TEMPLVM: nec minus FORTVNATA in suo TEMPLO VRBS, dum sese  
 mutuis utrinque subsidiis invicem adiuvant: itaque sub, & ab uno tali O-  
 NIADÆ Architecto prudenter conservantur. Infortunatum porro Tem-  
 plum & Vrbs, si quod illis, ab invicem diversis, aut extrinsecus, aut intrinse-  
 cus Divortiū oriatur: prout Hierosolyma olim iam sæpius docta; sed non-

dum perdocta, suo tandem supremo Fato, Maloque, sub obsidente TITO Imperatore, didicit, quando dissidentibus inter se intestinis Reipublicæ Hierosolymitanæ Politarchis, & Hierarchis: aliis **TEMPLVM**, aliis **VRBEM**, discordi animo invadentibus, per unam illam obsidionem, Paschali tempore, sub annum Christi, à Iudæis occisi, quadragesimum, ad undecies centena millia Israelitarum Hierosolymis perierunt: Temploque simul, & Vrbi, solo æquatis, aratrum Victor impressit.

Non absimilem, tum in Concordia, prosperantum adversam in Discordia, Fortunam, ut olim Israelitica, sic etiamnum Christiana, præsertim Germanica, & quidem singulariter Nostra hæc Padifontana Solyma, frequentius probaram ingenuè agnoscit, sentiens adhuc illam superiorum temporum Civilem Discordiam, aliorum indignans perfidiam; aliorum fidei sibi congratulans. His autem novissimis temporibus experta sapius, quanti referat, illam Templi, & Urbis, aut neglexisse, aut dilexisse **CONCORDIAM**: præsertim sub tali **ONIADE**, qualem se modernus ille Noster Hieropolitarcha, in suo Templi sui tum **DECANATV**, tū **PRÆPOSITVRA**, suæ Civitati exhibuit: quando in Summis variarum obsidionum, & adversitatum hostilium periculis, illam non deserens, ipse obire Muros, turres ascendere, Cives, Militesque, ad fidelem suo Principi concordiam animare, dubites an **TOGATVS**; an **SAGATVS HEROS**, assueverat: Itaque si non proprijs, saltem alienis manibus suo, Heroico Spiritu animatis, Hostem Vrbi, Temploque inhiantem, fortiter simul, & prudenter averruncabat.

Interim, sic in Fori turbis versatus, Chori sui Officiis, Templique Sacrificiis, à semetipso peragendis, non deerat Noster **ONIADES**: utrobique, Suos, tum Politarchicos, tum Hierarchicos Spiritus representans, exultanti Populo, Senatuiq; Padifontano, cui talis à Deo in tantis Calamitatibus evenisset **ONIADES**: qui velut **ONIAE** sui Archipræsulis **FERDINANDI** adhuc Locumtenens, Futurus aliquando Successor, non minus Vrbi quàm Templo invigilans, utriusque Bonum tantâ Sollicitudine intendere: Suoquetum Verbo, tum Exemplo, suam **TEMPLI**, & **URBIS** Altitudinem, suis in Altum erectis Gentilitiis **COLVMNIS** Tralibus adumbratam, duplici Ædificatione fundans, *excelsos utrobique, Parietes* vivis ex Lapidibus, in altum promoveret, suis porrò temporibus, utramque in altiora promoturus: Ideoque dignissimus, cui Leo-Carolina Virago, Paderbornensis Ecclesia, velut Sponsa Viro **HEROI** semper fidelissimo, desponderetur. Spirituali desponsationi Epithalamium Spirituale, Spiritualis Erato accinebat utriusque *Insignibus, velut inter se coniugatis alludens, in hunc modum:*

**H**inc abeste, quotquot estis  
Cypridos leves Alumni:  
Hinc Adonis: hinc Dione:  
Sensualis hinc Cupido;  
Hinc faceffe, quisquis ardes  
Carneis Amoribus.

Hic

Hic AMORIS increati  
 Fax Cor urit: hic Voluptas  
 Gratiōsa; non Amara:  
 Sempiterna; non Caduca:  
 Fructuosa SPIRITALEM

Germinat CVPIDINEM.

Huc, Sagittifer CVPIDO:  
 Huc Amoris infer Arcum:  
 Charitatis igne fortes  
 Appara tibi Sagittas:  
 Conjugumque Cor ferito

CHARITATE mutua:

Cordis, in Salo Malorum  
 Fluctuantis, Vnda nulla  
 Igneos retundat Æstus:  
 Vnda Multa pascit Ignem:  
 Multus Ignis urat vndam:  
 Sicalantur invicem.



Coniugata Coniugatis  
 ARMA Sicutrinque dictant:  
 EN TRABES sibi putatas  
 CRVX honorat, & colorat:

En CRUCEM sibi paratam  
 TRABS triformis induit:  
 Sicutrinque, sic fruantur  
 SPONSVS, atq; SPONSA Christo,  
 Per CRUCEM suam Triumphos  
 Apparante gloriosos:  
 Queis uterque provehatur  
 In TRABES Olympicas,  
 Interim CRVCIS Trabalis  
 In toro cubent Iugali:  
 Coniuges utrinque fidi:  
 LECTVS iste CVRRVS esto  
 Fabricatus in triumphum  
 CHARITATIS ultimum.

Sic Erato: illubenter suum finiens, pro tam spiritali THALAMO EPI-  
 THALAMIUM; sed urgebat ille Typicus ONIADES Antitypum, invitans cun-  
 dem, ut suas Hierosolymæ Nymphas inviseret, has Padifontanis compara-  
 turus. Viam sternebat utrique Hagiotypographus, Eccles. 50.3. dicens:


 IN DIEBV5 IPSIV5 EMANAVERVNT  
 PVTEI AQVARVM: ET QVASI MARE  
 ADIMPLETI SVNT SVpra MODVM.



Astellis, & Urbibus Montanis, periculum à defectu Aquæ  
 Maximum, nisi *Aquaviva* intestina potiantur: sicut malo  
 suo; quamquam felici eventu, didicit Vrbs Bethulia Iu-  
 dith 7.6. quæ dum forinsecus, licet prope sua Mœnia, suos  
 haberet Aquæductus, & Fontes, quibus alias jucunde po-  
 tiebatur, & abunde potabatur: ab Holoferne tamen Assy-  
 riorum Duce, illam obsessuro, ex instinctu Ammonitarum, & Moabita-  
 rum, Aquis suis adeo destituta est, ut hoc uno medio, tandem ad sui dediti-  
 onem cogereetur; nempe Incuria Præsidum, Regisque Manassis, ut & Pon-  
 tificis Eliachim, ita suis Iudææ Montibus, Locisque Montanis, contra Ho-  
 stem illac propinquantem, custodiendis intendentium, ut suis ibidem Fon-  
 tibus, & Fontanis Aquæductibus Hosti præcludendis, & sibi aperiendis,

non

nōn attenderent Longe attentior in huiusmodi periculum, & cautior fuerat, illius Manassis Regis in officiosissimi Pater officiosissimus Rex Ezechias: qui Bellum sibi, & Obsidionem Vrbi Hierosolymæ, à Sennacherib Rege Assyriorum instare, prudenter suspicatus, & videns 2. Paral. 32. 2. *Totum Belli impetum verti contra Ierusalem, inito cum Principibus consilio, Virisq; fortissimis, ut obturarent capita Fontium, qui erant extra Urbem, & hoc omnium decernente sententiâ, congregavit plurimam multitudinem, & obturaverunt eundem Fontes, & rivum qui fluebat in medio terra, dicentes: Ne veniant Reges Assyriorum, & inveniunt Aquarum abundantiam.* Ex illis autem Fontibus capitatum extra obturatis, intraneos aquæductus in Urbem novos Rex idem, elicit, aquarumque scaturiginem copiosam Hostibus præcisam, in Vrbs puteos, & Rupium Cisternas, piscinarum instar, cæsim ampliatis, prout ex 4. Reg. 20. 20. Eccles. 48. 19. insinuatur, profusissimè collegit.

Ezechiam Regem in suam Rempublicam officiosissimum, Templi, & Vrbs, Generosum Instauratorem, Architectum sapientem, & ingeniosum AquæDucem, ut in Architectura, sic & in Aquæductu præclare imitatus est, imo superavit, ONIADÆ ille Typicus: Nam *in diebus ipsius, ut Hagiotypographus loquitur, emanaverunt Hierosolymæ Putei aquarum: & quasi Mare adimpleti sunt supra modum.* Habebat suos ille Oniades circum circa Hierosolymam, foris; habebat & aforis in urbem, tam in Montem Sion, velut in Asylum, & Castellum Politarchicum; quam in Montem Moria, ubi Templum erat, velut in Hierarchicum Palatium, olim derivatos ex suburbanis Fontibus, insignes Aquæductus: in Templum scilicet pro Levitarum, & Sacerdotum diversis usibus, in primis autem pro sanguine victimarum abluendo: inde partim sursum ulterius in Montem Sion; partim deorsum in Urbem, profuis utroque; tum amœnis, tum necessarijs cōmoditatibus, ordinate distributos. Sed hi paulatim suis vel are factis, vel obturatis, fontibus, vel rimosis Canalibus, vel Ripis in alveum collapsis, ita defecerant, ut ad hos reficiendos, & Publica, & Privata Vtilitas, & Necessitas eum impulerit, & Amœnitas invitarit. Puteos igitur, & Fontes aquarum veteres, earumque ductus, vetusta te antiquatos, Typicus ille Oniades, labore multo, eruderatos innovavit, novosque simul ex interiore soli abyssu elicit: unde *quasi Mare quoddam, putei ex Aquæductibus fontanis, per universam Urbem, supra modum adimpleti sunt;* ita ut, & intus, & foris, tam Vrbi, quam Templo, & in usibus commodos, & in peramœnos aspectus, continuò defervirent, suumq; Hieropolitarcham, in suis illis typicis Aquæductibus terrenis Antitypos cælestes adumbrantem, figurarent.

Aquæductus illos Typicos, hūc Solymis adducere, opus non est ONIADÆ Nostro Antitypo: habet enim ipse suos in terra sua Padifontana; velut altera Palæstina, divinitus sibi permiffa, & commiffa, FONTES complures: habet ipse DOMI SVÆ, quam excellenter NOVAM nominant, celeberrimos illos, ex Romana Historia FONTES ALISONIS, & LVPPIÆ, ibidem confluentes: habet suum in propinquo ALPHEVM, illi Arcadico, seu Achaico in Græcia non absimilem: cuius ARETHVSAM curiosiores Naturalium Rerum Indagatores, hætenus frustra persequuntur: videlicet, non procul à NOVA BECA, prope Urbem Paderanam, RIVUS est non modicus, qui, subito in terram hauttu absorptus, nescitur quo sese mortalium oculis eripiat: Similes alii duo Rivi magis admirandi, prope LICHTENAVUM Paderbornensis Territo-

ritorii Oppidum, Paderborna non procul diffitum, suis alveis, meatibusq;, iam pluribus, mox paucioribus, ita confluunt, ut à repentino terræ hiatu quàm primum disparentes quasi evanescant. Alius prope ANTIQVAM BECAM, Novæ propinquam, FONS est in Sylva, quem TVMVLTVOSVM nominant, quod ex Montis clivo, suis horarum certarum intervallis, admirabili quodam susurro, quasi tumultuans, ebullit aliquandiu, & scaturigine non modica; etsi modica duratione, tumultum interrumpat.

Sed omiffis aliis Terræ Padifontanæ Fontibus, Rivisque, tum Salsis prope SALCOTTENAM, tum prope DRIBVRGVM Acidis: item DIMELA, NETA, OSA, EMMERA, BEVERA, NISA, & aliis Fluvialibus Lymphis, sese aut in VISVRGIM, aut in LVPIAM, aut in AMASIN, exonerantibus: omittere non licet illos hujusmet Urbis Padifontanæ intestinos quasi Fundatores, à quibus nomen habet, TRIVM, inquam, FONTIVM, ab ipso TEMPLO in VRBEM, Scaturigine tam copiosa, erumpentium LATICES, ut mox intra Urbem, factò duplici alveo, Peninsulaque formata, velut Navigabiles, agminatim procedant: & dispensatis ante suis Vrbi toti per suos Canales aquis, & XI. farinaceis, præter alia; Molendinis, intra Urbem, circumactis, in eundem alveum reversi, pleno amne, foras extra Urbem, amœno flexu, per suburbanos Campos errabundi, gratiose prolabantur, usque dum ad Nostri ONIADÆ NOVAM DOMVM Castellanam Alifoniam, Fontibus Alifonis, & Luppiæ ibidem confluentibus, coinfluant, & famosissimum Romanis Annalibus flumen LVPIAM, cum iactura sui Nominis, producant.

Suis itaque Fontibus, Ravis, Amnibus, & Fluviis Padifontana Regio, præsertim Vrbs Paderborna, meliøre titulo, quam vel montana Bethulia, vel Iudæa Regio, vel ipsa Regia Civitas Ierusalem, gloriari potest: quod enim hæc paulatim, & cum periculo defectus, extra se, per Industriam, per ARTEM, per Laborem hominum obtinuit; hoc illa totum simul, intra se, tum securius; tum abundantius, per Fortunam, per Naturam, per Fatum, sibi à Deo impetravit. Quod autem ita divinitus Vrbi alicui, seu Terræ concessum est, id humanitus negligi, vel in humanos usus meliores, pro Republica non aptari, quemadmodum Homini bus inglorium est, ita nec ad Majorem Dei Gloriam, per hujusmodi usus ampliandam, ordinatur. Inter alios Fluminum ex suis Fontibus derivandorum Fines Politicos unus, isque primarius est Navigatio, ad Negotiationem inter Nationes distas compendiosius exercendam: hinc & ad Notitiam, & Amicitiam inter easdem contrahendâ, prudenter à Politicis instituta. Præcipuus, & uberrimus Opulentia Salomonica Fons erat solennis Enavigatio: qua, ut merces aliæ silentio involvantur: *Solius auri pondus, quod afferebatur per singulos annos, 3. Reg. 10. 14. erat 666. Talentorum. & 2. Par. 9. 20. Argentum in diebus illis pro nihilo reputabatur: Siquidem Naves Regis ibant in Tharsis, & deserebant inde Aurum, & Argentum; ita, ut Salomon. (v. 27.) in Ierusalem, tantam Argentum, quantam Lapidum copiam præbuerit;* Nempe Basilicus erat; non de trivio Vulgaris, Negotiator, in signe Politarchis Exemplar, suam ditandi Rempublicam, ut ab ipsa vicissim ditentur: Sicut Mare, Fluminaque Maiora, suis Navibus; ita suis Naviculis Minora Flumina, in usum tam privatam, quàm publicum, utilitate magna deserviunt.

Habet suos Regio Paderana fructus insignes, quos Extranei desiderant: & ipsa vicissim Extraneorum fructuum desiderio tenetur: Fontes, Rivi, Flumina

vi, Flumina, divinitus expedita suppetunt: quibus ultro citroque importentur, si Humana Expeditio accedat. *Omnia Flumina, Eccl. 1. 7. intrant in Mare: & Mare non redundat: quia nempe ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Paderani Fontes per sua Flumina, sicut intrant Mare, ita ex Mari, per subterraneos Abyssi meatus, velut in Orbem iugiter ad semetipfos revertuntur: & à diversis Terræ suæ Locis ad unam illius Metropolim absorbentur, ut inde profluentes copiosius, ONIADÆ Nostro, Hieropolitarchæ suo, Maiorem sui usum, pro singulari, & Urbis, & Patriæ totius emolumento, persuadeant. Id ipsum & aliæ propin quarum Regionum NYMPHÆ, Fontium NAIADES, Convallium NAPEÆ, Montium OREADES, Nemorumque DRYADES, & HAMADRYADES, unanimiter supplices orant; quin exorent non dubitant: in primis MARCANA, suum sibi exorabilem promittentes ONIADEN: cuius Nymphæ Padifontanæ, adverso Luppia, suum Choliambum, Internuntium Phaselo impositum, ablegabant, his Versibus instructum:

**P**haselus ille, qui Suam tuæ proram  
 Advertit Oræ, NYMPHA Padifontana,  
 Fert CHOLIAMBVM: Choliambus illum offert  
 Tibi, Tuoque, per Manum tuam, SPONSO  
 THEODORO ADOLPHO, Principi ter optato:  
 Cui MARCA Nostra, Germini suo fidens,  
 Per me audet illi supplicare fidenter:  
 Ut, quas in ARMIS exhibet suis, Navi  
 TRABES adaptet, qua Negotiatorum  
 Cohors, vehente Padera, ciente Alma,  
 Vrgente Luppia, citantibus, quotquot  
 Rhenum inter, atq; Paderam, citando sunt,  
 Vel Amnibus, vel Rivulis adunatis,  
 Rhenana visat Littora, & Maris Portus  
 Negotiosos intret, ut revertatur  
 Vias easdem copiosior tranans:  
 Ut Argonauta VELLVS AVREVM captet  
 Marcanus HEROS, atque Padifontanus.  
 Marcana TRABS in Padifontibus Mota  
 Vtrinq; profit: Ominata fortunans  
 Vtrinq; Navi Castor adsit, & Pollux.

Ita Choliambus ille Marcanus, ex suo Phafelo, ad Nympham Padifontanam subridentem, quod suum Hieropolitarcham, velut Navarchum, se quasi Navim Hieropolitarchæ futuram intelligeret. Vrania miranti suggererat illud Salomonis, de Muliere Forti, Sapientiæ Politicæ figura. Prov. 31. v. 10. *Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium eius: Facta est quasi Navis Institoris, de longe portans Panem suum: Gustavit, & vidit, quia BONA est NEGOTIATIO eius. Sindonem fecit, & vendidit: & Cingulum tradidit Chanaanæ, seu extraneo Mercatori.* Sed Choliambo illi eadem Vrania objiciebat, quod Marcanum suum, Heroem, non Hierarcham, sed Politarcham solum agnoscere videretur: qui solas illius TRABES Marcanas Gentilitias; non item Padifontanam CRUCEM Trabalem Christianam honoraret, Principique, duobus Pedibus ritè insistenti, supplicare claudicando niteretur. Addebat & illud ex suo Hagiotypographo, Eccl. 26. 26. *Duæ species difficiles, & periculose mihi apparuerunt: difficile exiit Negotians à Negligentia: & non iustificabitur Caupo à peccatù labiorum:* Negotiator enim Politicus, dum suis negotiis intendit plerumque diligentius; negligentius ad Negotia Divina cõmuniter attendit: & Caupo, ut facilius potum suum distrahat, lingua mendace cauponari solet, hinc Arist. 7. Politic. c. 9. *MERCATVRAM, sicut & Cauponariam Negotiationem Virtutibus inimicam statuit: & Platonis 4. de Legibus: non probabatur Situs Urbis Maritimus, nimirum noceat, Civesque diffuant extraneis delicijs, aliunde importatis.* Hinc nec mirandum in Principe Christiano, præsertim Hieropolitarcha, si attendat exactius, ne quid forte nocumenti Politica NEGOTIATIO in Ecclesiasticam deferat: unde sub temporalis commodi prætextu, Sempiterna incommoda præparentur.

Sicut Navigatio, ita Negotiatio inter Homines, quanto lucrosior, tanto periculosior: hinc Avaritiæ Charybdis; inde Scylla Impietatis Navigantem improvidum Negotiatorem abripit: hinc Divitiarum Syrtes; inde Voluptatum Sirenes: undique fraudum, & iniquitatum Voragines, prout Maritimo, ita Flumineo Institori, æternæ salutis exitium parant. Exempla hujus tanti periculi tum vetera, tum recentia non desunt, quibus demonstrari possit, Vrbes olim Religione florentissimas, illam Negotiando, sensim absque sensu perdidisse. dum Negotiatio liberior in Conscientiæ Libertatem: hæc in Hæresin: Hæresis tandem in Atheismum desinere videtur, ita ut, quod LYBET, cuique LICEAT, Modo Negotiationem Politicam non impediatur. Hisce tramis, & tramitibus, Politica Negotiatio Ecclesiasticæ subtexta, Novas in Europa Nostra, præsertim Germanica, Republicas ita subtiliter contextit, ut ipsismet, quorum interest, non advertentibus, vel conniventibus, indies magis, & magis Germanam, tum Hierarchiam, tum Politarchiam destruat, suisque Hieropolitarchis Autoritatem suam, & Potestatem omnem, pedetentim surripiant, & pessundent.

Percellebat Choliambicas, & variarum Provinciarum, etiam rectius ambulantes, ibidem forte congregatas Nymphas, illa VRANIÆ interlocutio: nec multum aberat, quin & ipse MVSARVM CHORVS majori ex parte in partem Nympharum abiisset: nisi PALLADIS intercedens Prudentia eandem Sapienter conciliasset, allato suæ Urbis Atheniensis Memorabili Exemplo, Vrbs illa, teste Plutarcho in Themistocle, à duplici prenabatur Onomotheta, qui

ra, qui suum illi NOMEN imponeret. Alter erat NEPTUNVS, EQVVM illi suum præsentans aquaticum, velut Nobilissimo, & portuosissimo Græciæ totius Emporio, futurum suæ, tum Negotiationis Mercatoriæ; tum Expeditionis classiæ, Monumentum Symbolicum. Altera erat MINERVA seu Pallas, græce Αθηνη velut Αθηλα, & Αθηλας, scilicet, non Effæminata, nō Lactata; sed ex Iovis cerebro genita Herois, & Virago, suam Atheniensibus OLEAM, veluti Sapientiæ Pacificatrici tesseram, benevole insinuans. Delatum Iudicibus Arcopagitis Iudicium, à Civibus: latumque pro Minerva, quæ NOMEN Vrbi Athenis daret: suumque in summo Urbis loco sibi dedicatum haberet Athenæum, velut Sapientiæ Domicilium: Neptunus interim suam Piræi Navali Urbis portuosissimo, tum Negotiationis Mercatoriæ; tum Expeditionis Classiæ gloriam tueretur, & ampliaret. Simile Nostri ad Fontes Paderanos Athenis latum esto per suum Arcopagitam ONIADEN, Iudicium: quo Padifontani, & Athenæi, & Piræi; magis tamen Athenæi; quam Piræi Gloria, per eundem instaureretur, conservetur, & ampliaretur.

NEGOTIATIO quæcunque, tum Ecclesiastica Spiritualis; tum Corporalis Politica, si Legitima sit, universam honestat, locupletat, conservat, & amplificat Rempublicam; sin illegitima, eandem inhonestat, extenuat, dissipat. & pessundat. Legitimam porro suorum Negotiationem, ut Politarcha, sic & Hieropolitarcha Legitimus efficit: atq; hic tanto facilius, quanto magis in totam Rempublicam legitime protenditur: dum suas Leges Politicas Ecclesiasticis accurate subordinat, & conformat: ut per utrasque sibi, & suis temporaneam simul, & æternam salutem assequatur. Id ipsum advertens Hieropolitarcha NOSTER ONIADES, suis in Fontibus, eorumque Fluminibus, ad navigandum, ac negotiandum apparandis, & Politarcham, & Hierarcham, se, ubi congruum videbitur, ostensurus, interim prudenter observat FONTES ILLOS PADERANOS, sub, & ab ipso TEMPLO in VRBEM, deinde foras derivatos. Habet quidem suos Padifontana Solyma corporeos, & typicos ex Fonte Vnitrino scaturientes aquæ ductus, eosque Naturales, ac perpetuos: nec forinsecos, ut habebat illa Viraginis Iudithæ Civitas Bethulia; sed intrinsecos, ab inimicis Hominibus difficulter, imo nunquam humanitus obturandos: Antitypis vero, & Spiritualibus, interdum ab Holoferne aliquo, vicinorum suorum Ammonitarum, seu Moabitarum suasu, vel impulsu, penitius destitutam se probavit, ut sitiens HIERAPOLIS ad suum avidius, & sollicitius anhelaret Hieropolitarcham, qui suos ipsi à suis inimicis obstructos, vel substractos Aquæ Vivæ ductus, ex Archifontanæ Sapientiæ Abyssu in Vitam Æternam salientes, prudenter instauraret, humaniter promoveret, liberaliter propinaret.

FONTEM SAPIENTIÆ dicimus ex Hagiotypographi Nostri Eccl. cap. 1.5. VERBUM DEI IN EXCELSIS: ubi, SAPIENTIA PROV. 9. 1. ÆDIFICAVIT SIBI DOMVM, Architectante Nobis, TRABESQUE SVAS, velut operis tanti Bases, in ejsdem Fundamentis, à Prænobili, & GratiOSO Ecclesiæ Paderbornensis Capitulo, jam locatis, collocante Hieropolitarcha suo, THEODORO I. Paderbornensi Episcopo: excidens ibi Columnas Septem Artiū, & Scientiarum Liberalium: immolansq; suas, de Vita Ignorantia, Victimâs: miscensque Vinum suum Aqua sua, proponit Mensâ suam, missis Ancillis suis, ut vocent ad Arcē, & ad Mœnia Civitatis, dicens: si quis est parvu-

lus veniat ad me: & insipientibus loquens: Venite, Comedite panem meum, & bibite Vinum, quod miscui vobis: relinquit Infantiam, & vivite, & ambulate per Vias prudentiæ. FONTEM HUNC Sapientiæ ab Excelsis promanantem Hagiotypographus Noster Eccle. 24. 40. sic inducit: Ego Sapientia effudi flumina: ego quasi trames Aquæ immensa de Fluvio: ego quasi fluvius Dioryx, & sicut Aquaductus exivi de Paradiso: dixi: Rigabo hortum meum plantationum: & inebriabo prati mei fructum, & ecce factus est mihi trames abundans: & fluvius meus appropinquavit ad Mare. Hujus Maris flumina, Puteos, & Fontes, Antitypus Noster Hieropolitarcha ONIADES, antequam huc Dignitatis pertingeret, jam tum parvulus adhuc sitibunde libaverat: Adocescens gustarat avidius: Vir tandem liberalius inde potitans, & honestissime potus, hos, quibus eundem inspiratum, & animatum experimur, HEROICOS & PRINCIPALES SPIRITVS concepit, eisdem parturiens Ecclesiæ suæ Padifontanæ ingenerandos, ut ita suo Capiti, Membra Corporis ejusdem rite conveniant, suumque tum Politarcham, tum Hierarcham, decore cohonestent, ad MAIOREM unius Archieropolitarchæ Gloriam: cui & suas Insignium suorum TRABES Noster ONIADES, quasi THEODORVS Alter, in ALTYM erectas dedicat, ut per illas Padifontanæ Sapientiæ Domus, indies magis EXLATATA uberior, & altiores quaquaversum Aquaductus progeneret, juxta Exemplum Typici Oniadæ: QVI teste Hagiotypog. Eccl 50. 4.

CVRAVIT GENTEM SVAM: ET LIBERAVIT EAM A PERDITIONE.



Tribus Nteralia Typici Oniadæ Vestimenta Pontificia Exod. 28 4. erat PONTIFICIS Ephod, seu *Epomis*, quod SUPERHUMERALE nominant, ex Auro, & hyacintho, & purpura, coccoque binstincto, & bysso retorta contextum: in quo duodecim TRIBVS ISRAËLITICÆ, totidem suorum Patriarcharum Nominibus, seu Insignibus expressæ, Vniversam Gentem Israëliticam representantes, bis continebantur: nimirum & in Rationali, ad pectus, in totidem diversis lapidibus pretiosis omnes duodecim simul: & super humeros, utrinque sex, in gemino tantum lapide Onychino singulatim peculiariter ordinatæ, in eum finem, ut & cordis Affectu, & Operis Effectu, Omnium suorum CVRAM gerere Pontifex meminisset, quasi perpetuus Mediator inter Maiestatem Divinam, & universam Gentem suam, in sua Epomide, adumbratam. EPOMIS illa, secundum Bedam, & Philonem, aliosque Mysticos Interpretes, CVRAM sui, & Suorum ONEROSAM Pontifici denuntiat. Ex Auro fit, ut ante omnia, in Habitu Pontificis Intellectus SAPIENTIÆ PRINCIPALIS eluceat: HYACINTHVS illi, Colore aërio nitens adjungitur, ut per omnia, quæ Pontifex intelligendo penetrat, non ad Favores humanos; sed ad unum Amorem Divinum exurgat: his PURPURA miscetur, ut Pontificis Cor, dum sublimem Vitæ suæ statum cogitat, vitiorum suggestionibus, & Concupiscentijs terrenis, quasi

ex REGIA POTESTATE contradicat: itaq; Principatus sui Nobilitatem aspi-  
 ciat, ut Regni caelestis habitum suis MORIBVS REGIIS defendat. In PURP-  
 RA, Christiani Sanguinis profusio, Christianæ Patientiæ symbolum expri-  
 mit, ut Pontificis HVMERI patienter succollantes CRUCEM suam, suorum  
 Crucibus aggravatam, Principali Regioque spiritu Christiano bajulent. In  
 Cocco bis tincto, CHARITAS Pontificis Heroica, & in proximum, & in De-  
 um ordinata, refulget: In Byssoretorta, Vitæ Pontificis Disciplina strictior  
 exhibetur.

Sic per Epomidem Suam instructus, Oniades ille Typicus, legitime  
*Curavit gentem suam.* Gens, Nomen Collectivum, ita plures in unum Personas  
 colligit, ut illarum singulas, & omnes pariter, quasi ex uno genere aliam, &  
 aliam speciem habentes, una significatione uniformiter, difformiter com-  
 prehendat. ita Gens Israelitica per suum Oniaden curata, non unam alte-  
 ramve Tribum, sed universim omnes duodecim, earumque Tribules om-  
 nes, quales quales quotquot erant, ut in Pontificis EPOMIDE, sic & in e-  
 jusdem CVRA subordinantur: inprimis tamen Pontificis erat curare TRI-  
 BVVS duas, velut reliquarum Principes: nimirum LEVITICAM, velut peculia-  
 rem Domino Deo suo: & IYDAICAM, seu Tribum Iuda, quod illa veri Mes-  
 siæ, Summi REGIS & PONTIFICIS, aliquando nascituri, Genealogiam, sibi  
 à Deo attributam, velut hæreditariam possideret. Hanc illarum duarum  
 TRIBVVM inter alias Eminentiam, ipsa totius Israelitici Regni Metropolis  
 Hierosolyma, per Basilicam geminam: alteram in monte Moria, pontifici-  
 am; alteram in Monte Sion, Regiam, utramque suo Messæ Pontifici, Regi-  
 que nascituro præparatam, ostentabat. In utraque suam Oniades ille Typi-  
 cus Monarchiam, in altera Hierarchicam, in altera Politarchicam feliciter  
 auspiciatus, utrobique *Suam Gentem*, quoad omnes Tribus, præsertim Leviti-  
 cam, & Iudaicam, diligenter curatam, à *perditione liberavit.*

ONIADÆ Nostro suum RATIONALE suas quoque TRIBVS, per singu-  
 larem CVRAM à perditione liberandas exhibet: inprimis autem duas, præ-  
 alijs majore CVRA dignas, videlicet in Tribu Levitica, & Iudaica divinitus  
 olim adumbratas: CLERVM, inquam, Ecclesiasticum, in Levitica; & NO-  
 BILITATEM Politicam, in Iudaica Tribu figuratam. Prima Hieropolitarchæ  
 CVRA, ut ipsum nomen insinuat, est Hierarchica; Tribum Leviticam Pon-  
 tificis Israeliticus non, ut reliquas, in suo Rationali; sed in suametipsum Per-  
 sona Levitica repræsentabat: ut ejusdem quanto interioris; tanto intensio-  
 rem CVRAM gereret, itaque omnes alias, per illam, à perditione liberaret.  
 Misericordia Reipublicæ, ipsius Perditio: Felicitas ejusdem à Perditione Libera-  
 tio, & Salus: non solum illa Politica temporalis, quæ SUPREMA olim, adhuc  
 Ethnica Romanæ Curia LEX erat; sed item alia Ecclesiastica, in Vitam æter-  
 nam ordinata: cui æterna Perditio, æternum scilicet, Culpæ simul, ac Poenæ  
 Malum, velut immensum quoddam sempiternæ Miseriæ Barathrum, ex ad-  
 verso præparatur: nisi per singularem Dei Gratiam, omnibus, & singulis  
 hominibus procurandam, hoc summo huius Vitæ Malo superato, illud  
 summum alterius Vitæ Bonum, quod veram Hominis Beatitudinem con-  
 tinet, impetretur. Hæc illa Curionum, & Curiarum omnium CVRA Pri-  
 ma, & ultima, Curas omnes intermediarum summatim complexa. Beatitudo  
 enim

enim, sicut Hominum in Republica singulorum, ita Reipublicæ Univerſæ Finis est: Illam omnes appetunt; sed non omnes, ut oportet, attingunt: partim ex Curandorum; partim ex Curionum, præsertim Maximorum, incuria: dum, vel illi suis Curionibus legitime sua Curantibus non intendunt, vel hi legitimam Curionis Officium oscitantur administrant. Prima nempe **CURA PRIMARIO** Reipublicæ Christianæ **STATVI** debetur, nimirum **ECCLESIASTICO**, cui **RELIGIOSVS** ut maximè affinis est; ita similiter curandus.

**HOC** utroque **STATV** per suos **CVRIONES** accuratè constituto, Alteram sibi **CVRAM NOBILIVM STATVS** meritò exigit: præsertim ubi Republica per suum, ex illo Statu eligendum, Hieropolitarcham gubernari consuevit. Inter hos enim Status, ad conservandam in Ecclesia Christi, Summi **REGIS & SACERDOTIS** peculiarem Genealogiam, Spirituale **CONIVGIUM**, apud Germanos laudabiliter in usu est, suis dignissimum **SEMINARIIS**: ubi Nobiliores illustrium Familiarum Surculi, purioribus Virtutum, & Literarum Christianarum rivulis humectati, suum aliquando Statum, cuiusmodi Coniugio dignum, assequuntur. Vnde nostra Germania suam **NOBILITATEM** sic agnoscit, & honorat, ut ad eandem in posteris conservandam, & propagandam, severissimas observet, pro diversis **PRIVILEGIIS** consequendis, ut & pro Cathedralium Ecclesiarum **BENEFICIIS** acceptandis, & **NOBILIBVS**, ex utroque Parente Liberis, agnoscendis, Consuetudines: inter quas & illa verè laudabilis, qua **NOBILES** Adolescentes, in Scholis & Academiis Catholicis ita erudiuntur, ut non minus à Bonis Moribus, & Literis; quam suis Natalibus, instructi, ad honestissima, & utilissima Reipublicæ Christianæ Munia, tum Politica, tum Ecclesiastica, dignissimè obeunda, felicissimè proveniant. Quem in Finem, sanè prudenter, ut ab eventu didicimus, Maiores Nostri, ad Germanam, in Germania, Religionem conservandam, Germanæ item Nobilitatis conservandæ singularè **CVRAM** adhibuerunt: sicut ex adverso Recentioribus, Novas Religiones meditantibus, ferè convenit, antiquas illas conservandæ Nobilitatis Leges, paulatim, simul cum Religione Antiqua eliminare: prout in diversis Regionibus; præsertim Aquilonariibus, experiètia demonstrat; ubi tamen, si quid Religionis Antiquæ supermanet, adhuc per Nobilitatem orthodoxam quoquo modo sustinetur.

Nec Hierarchiæ tantum; sed Politarchiæ simul conservandæ Nobilitas inservit: expeditque Principi etiam Politico, suas habere Familias Nobiles, quibus excitandis, fovendis, augendis, & permanendis, ipse **CVRAM** Principalem adhibeat. In omni enim benè ordinata Republica, suam obtinet sibi peculiarem Dignitatem **NOBILITAS**. In Romano Imperio, si concors esset Nobilitas, cum eodem **INVICTA** dici posset: at per suam discordiam, ab Exteris, Barbarisque sic devicta nunc est, ut Ordinem sub Aquila Romana sibi proprium difficulter sustineat, & paulatim, nolens volens, in alienum redigatur. Politicæ Discordiæ causam potissimam dedit Ecclesiastica, in Religione, Discordia: ubi dum per Curionum, & Minorum, & Maiorum, & Maximorum, seu Incuriam, seu Inscitiam, seu Malitiam, Catholica Res Anti-Catholicis prostituitur: Misericordem illum adhuc experimur, inter luxatos Imperii Romani Status, hiatus, qui non Politicis tantum; sed Ecclesiasticis item, ac Religiosis, per universam Europam Ordinibus, gravissimam

gam infixit Curionum solertia, & Nobilium potentia curandam. Curionibus ad id opus est pluribus, qui suo Curioni Maximo, suam in utraque tum Sacra; tum Profana CVRIA fideliter accuratam operam exhibeant: utrobique plurimum valebit GENEROSA NOBILITAS.

Ejusmodi Curionum Ordo in Rebus tam Divinis; quam Humanis legitime procurandis, olim etiam Gentilibus Principibus, ac Regibus, præsertim Romanis Urbem suam Orbis Dominam futuram auspicantibus magno opere adurgebatur, quasi Medium, ad Rempublicam servandam, & augendam, peculiariter adhibendum: Nam & Romulus primus Romanorū Rex Populum Romanum adhuc Novitium, statim, ab ipsis veluti cunabulis, in Partes divisisse legitur, quas quia tunc Reipublicæ Curam per earū suffragia expediebat, CVRIAS appellavit: unde CVRIA, sub Rege Numa Romuli Successore, dicebatur locus Romæ Augustus, ubi Sacerdotes CURIONES sub unius CVRIONIS MAXIMI præsidio, Curas publicas gerebant: & Tullus Hostilius Romanorū Rex, à Romulo tertius, ut Sacram à Profana CVRIAM distingueret, Novam pro tractandis in Senatu Negotiis Politicis excitavit, inde nominatam posteris CVRIAM Hostiliam. De Sacra illa, Cicero agens pro Milone appellat illam Templum Sanctitatis, Amplitudinis, Mentis, Consilij publici: Caput Urbis: Aram Sociorum, Portum omnium Gentium: Sedem ab Univerſo Populo vni Ordini concessam. Iudas Machabæus Hieropolitarcha nobilissimus inter alia Romani Populi, quo cum Amicitiam prenabat, encomia i. Mach. 8. fusius enumerata, peculiariter, in sua Israëlitarum CVRIA, urgebat id, quod ibidem v. 15. exprimitur: *Quia Romani Curiam fecerunt sibi: & quotidie consulebant trecentos viginti, consilium agentes semper de Multitudine, ut quæ digna sunt gerant: & committunt uni Homini Magistratum suum, per singulos Annos dominari universa terra sua: & omnes obediunt uni: non est invidia, neq; Zelus inter eos.* Admiranda certe, utinam & usitata Nostri, sub Romano Imperio, temporibus Monopolitarchia! Sic per suorum CVRIONVM Aristocratiam temperata, ut in omnibus, & singulis Negotijs decernendis locum habeat modus ille mandativus, legitimus: *QVÆ DIGNA SVNT ROMANO IMPERIO, GERVNTOR: & ROMANÆ SALVS REIPUBLICÆ, SVPREMA LEX ESTO.* Id namque, si prout intelligi potest, Christiano sensu intelligatur, omnibus item Christianis tam Principibus; quam Subditis, Rempublicam suam legitime constituentibus, à Deo imperatum est.

Quamobrem ONIADES ille Typicus Hieropolitarcha, & CVRIO Maximus in sua Curia, ne quid per incuriam sua Respublica detrimenti pateretur, suos item adhibebat, Minores, Minoribus; Majores, Majoribus curis CVRIONES: fortassis & nonnullos, quales in suis Provincijs Romani habebant, CVRIOSOS, nempe ipsorum Curionum Provincialium OBSERVATORES: quibus absens CVRIO Maximus, velut Oculis, Auribusque privatis in Commune Bonum uteretur. Nec enim dedecet hujusmodi Curiositas Principem: imo ad Curas Curionis Maximi temperandas expedit indagasse curiosius, & accuratius nosse viis occultissimis, quidquid in particularibus Curionum suorum Curijs, etiam circa res minimas peragatur: Sic enim Oniades ille sua tum Cura Politarchica; tum vero maxime, qua plurimum etiam apud inimicos valebat, Autoritate Hierarchica, & *Suam Gentem* ab extre-

trēma *perditione liberavit* : & , quod magis admirandum est , alienam Gentem antea inimicam , sibi suisque non parum devinxit : aliquanto enim post Ptolomæus Philadelphus Lagidæ filius , Divinam illam Simonis Oniadæ Hieropolitarum , tum in prosperis ; tum in adversis , uniformiter sibi constantem suscipiens , dimissis omnibus Captivis in Ægypto Israelitis , ab Eleazaro Fratre ipsius , & Successore , pro Alexandrina sua Bibliotheca nobilissima exornanda , Hebraicam Israelitarum Bibliam , per LXXII. nimirum ex quaque Tribu senos , Interpretes , gravissimos Rabbinos , græce transferri petiit , & impetravit : non sine Magna Simonis Fratris , ac Prædecessoris sui gloria , qui tales , tantosque fovit apud se in CVRIA sua Viros , à quibus Gentes Bibliacum Dei Verbum , antea solis israelitis concreditum , in suos ad Vitam Æternam usus , Deo mirabiliter cooperante ; acceperint , & posteritati laudabiliter in hunc usq; diem commendarint Qui tam insignis Curæ insignior eventus quanquā , fortassis ab ONIADE nunquam prævisus , nedū intentus ; veruntamen ab vno CVRIONE Summo , cui Sap. 6. 8. æqualiter Cura est de omnibus : in gratiam CVRIONVM suorum , præsertim CVRIONIS Maximi , ab æterno prædestinatus : ut & ipsi Naturam sui tanti CVRIONIS in sua CVRIA exprimere , quo ad possunt , in omnibus accuratissimè conentur : itaque suarum Curarum etiam inexpectatos fructus percipiant .

Nostrum Oniaden Antitypum insigniter hactenus CVRÆ probaverunt ; & ipse CVRAS ; in variis , per tot annos , tum extraordinariis observatissimi COMMISSARIJ ablegationibus ; tum ordinariis fidelissimi CONSTILIARIJ functionibus , circa res gravissimas ad universam Rempubicam pertinentes , quas ipse non minus fortiter ; quam suaviter , CVRA peculiari , sub Principibus Magnis , præsertim sub ONIA suo Prædecessore , Magno FERDINANDO Bavaro , velut ejusdem singularis ad Paderā CVRATOR , & Vicarius , in optatos exitus perduxit . Quod , ut alia prætermittantur , evidenter patuit , non ita pridem in Amplissimis illis , & Augustissimis ferè totius Europæ Comitibus , ut ita nominem , CVRIATIS , Monasterij Westphalorum habitis : ubi quid per Oniam illum , tunc Paderanum Curionem Maximum , ejusque PROCVRIONEM Nostrum Oniaden ( adversantibus licet Magnis Proceribus , quos adversari forte non oportebat ) pro suis Padifontibus , in antiquo scaturiginis orthodoxæ fluxu conservandis , actum , & peractum sit , res ipsa loquitur : dum Padifontes CVRIALEM alienigenam veriti , suum ex Procurione suo CVRIONEM ONIADEN , sui Oniæ Curionis Maximi Successorem , toti Patriæ suæ congratulantes accipiunt ; ejus , ut jam pridem observatur , Ingenii , & Indolis accurantis omnia singulatim , ut suam & CVRIAM utramque solerter accuraturus ; & in utraque , tum suos , tum suis accurate consulturus : omniaque suo Hieropolitarum Chæ situ dignissima serio gesturus , certo præsumatur .

Huius Præsumptionis TESSERAM , cōmuni totius PATRIÆ Manu præsentamus , illud appressum Cordi ONIADÆ Typici RATIONALE typicū , velut per sui Antitypum , Antitypi ONIADÆ Cordi solidius impressum , & ab Vrania , peculiari versu quadruplici , reliquis Musis inusitato , & ignoto , per subiectam

lectam Figuram expressum ; assertis eidem *metaphysis* versiculis Adoneis, ex illius Typici Oniadæ Rationali, suam CRUCEM Antitypo, velut Pectorale Cordi nunquam expectorandum figurantibus, in hunc modum :

|   |  |  |   |   |  |
|---|--|--|---|---|--|
| <p>ECCE COR URENS<br/>CVRA Tuorum,<br/>CVRIO MAGNE,<br/>Hic reserata est:<br/>Nunc Hierarchæ,<br/>Tunc Politarchæ;<br/>MOX UTRIVSQUE<br/>CVRA COR URENS.</p>  |  | <p>CRUX Generosi,<br/>En Tibi CURIS,<br/>Lucida gemmat:<br/>In DVODENIS<br/>Plurima Gemmis<br/>CVRA relucet,</p>   |   |   |  |
| <p>IN DVODENIS<br/>Ecce LAPILLIS,<br/>Quam speciosis,<br/>Tam pretiosis,<br/>Esto, Minutis;<br/>Quæ Tibi subsunt,<br/>CVRIO MAGNE,<br/>Cuncta refulgent:<br/>SINGVLA VERI<br/>COR PATRIS UTUT.</p>  |  | <p>Sardius.<br/>Carbunculus.<br/>Ligurius.<br/>Chrysolithus.</p>   | <p>Topazius.<br/>Sapphirus.<br/>Achates.<br/>Onychinus.</p> | <p>Smaragdus.<br/>Iaspis.<br/>Amethystus.<br/>Beryllus.</p> | <p>USTIO SANCTA<br/>CORDIS, ab orto<br/>Cælitus IGNE,<br/>Quo per honestū<br/>IPSE SACERDOS<br/>MAGNVS AMOREM<br/>Omnibus ÆQVA,<br/>Omnibus UNA<br/>VICTIMA VICTRIX<br/>Sanctificatur:</p> |
| <p>TU PADERANÆ<br/>Incola TERRÆ,<br/>Quisquis es omnē<br/>Immoderati<br/>Tolle Malignum;<br/>Pectoris Æstum<br/>Vince Dolorem:<br/>Pelle Timorem.<br/>Disice CVRAM,<br/>ECCE COR UNVM,<br/>CORQ; PATERNVM<br/>Omnia CVRANS<br/>CVRA COR VRIT.</p> |  | <p>Una sit unil-<br/>Cuiq; sub Uno<br/>CVRA suum Cor<br/>Corde iugari:<br/>Ne quod iniquis<br/>Forte jugetur<br/>Nexibus, UNI<br/>Omne Cor esto<br/>Subiuge CORDI,<br/>CARDIOGNOSTÆ:<br/>Cuius ab Uno<br/>IGNE benignè,<br/>CVRA COR VRIT.</p> |   |   |  |

Ille duodenarius Gemmarum numerus innuit utrique ONIADÆ suas duodecim Tribus Israël: decimam tertiam, nimirum Leviticam, ipsemet Oniades, quasi Levita per suā ipsius Personam repræsentat. In Tribubus videlicet Israël ad promissam divinitus Palæstinam terram intromissis repræsentabantur Apoc. 7. 4. singulatim omnes homines, quotquot ad vitam æternam ab æterno designati sunt: ideoq; sub iisdem Symbolis Gem-

marum. Apoc. 21. 16. ad cælestis Ierusalem *Fundament a, Murum, & Portas* construendas inducuntur, velut pretiosissimi lapides in Gazophylacio Divino repositi: quos ex Ierusalem terrestri, ad cælestem illam perficiendam Christus ARCHITECTVS proprii sanguinis pretio sibi comparavit, apud ONIADEN suum CYRIONEM MAXIMUM, in Cordis RATIONALI depositos, ut ad illam Fabricam in sua Ierusalem ipsos præformaret. Quam sui Architecti Voluntatem singulariter accurabat in Antitypi sui Exemplum Typicus ille Oniades: QVI Eccl: 50. 5.

PRÆVALVIT AMPLIFICARE CIVITATEM: QVI ADEPTVS EST GLORIAM IN CONVERSATIONE GENTIS: ET INGRESSVM DOMVS, ET ATRIUM AMPLIFICAVIT.



Omen Civitas prout externam illam diversorum ædificiorum inter se aliquatenus unitorum Fabricam: ita & Civium in eadem habitantium propriam vivendi rationem, seu Politiam, vel Civilitatem significat hoc sensu posteriore intelligendus Plin. lib 7 ubi Regiam Civitatem Ægyptijs; Popularem Atticis tribuit. & Cic. lib. 3. de Legib. ubi Regale Civitatis genus probatum quondam; postea non tam Regni; quam Regis vitij repudiatum asserit. In utroque sensu Oniades ille typicus prævalide amplificavit suam Civitatem, nimirum Ierusalem Iudææ totius Metropolim, Ecclesiæ Christianæ, tum in terra militantis; tum in cælo triumphantis umbratilem figuram: iuxta sensum utrumque Psal. 121. 3. sic delineatâ: *Ierusalem, quæ adificatur ut Civitas, cuius participatio eius in idipsum.* Vbi laus Civitatis Ierusalem potissimum in eo versatur, quod sit *Participatio eius in idipsum*: nempe omnium Civium eius, inter se mutua Communio, & Societas per unitatem gratissimam, sub uno Magistratu firmiter sibi coherens: figurata per adunatam inter se ab inhabitantium Civium multitudine, tam Domuum; quam Platearum, uniformiter difformium Symmetriam: qua sicut Plateæ plateis; domibusq; domus, ita Cives Civibus, sub uno Republicæ totius Architecto, inter se ordinatum coaluerint: Republica enim Humana, ut Politici definiunt, est Hominum Coetus, ex luris consensu, & Communione utilitatis, ad benè, ac beatè vivendum, Naturæ ductu sociatus. In qua definitione, si Hominibus Angeli, & Naturæ Gratia supernaturalis ad supernaturalem Gloriam ordinata coniungantur, *Ierusalem adificata ut Civitas*, nobis in Republica trifaria exhibetur: nimirum prout illa vox Ierusalem, in sensu divinarum Scripturarum Historico, illam Civitatem palæstinæ: in sensu Allegorico, Militantem: & in sensu Anagogico, Triumphantem significat Ecclesiam, velut Civitatem Mysticam, in Historica figuratè adumbratam. Vnde sicut Umbra suam à re tam illuminante, quam adum-

adumbrante figuram accipit, ex qua Intellectus Rem illam utramque, scilicet illuminantem, & adumbrantem cognoscat: Ita Civitas Historica Ierusalem, quasi Umbra ex Scripturis Divinis cognita, deducit Intellectum ad Ecclesiam, Cives, tum in terra militantes adumbrantem; tum in cœlo Triumphantes illuminantem, distinctè cognoscendam.

Suprema igitur, & Archetypa reliquarum duarum Civitatum formatrix est illa primaria Ierusalem, cuius inter Cives omnes talis participatio est, ut perfectior civitatis alicuius Idea, secundum allatam supra definitionem concipi non possit; nedum efformari: cum præstantissimas in omni genere tuo causas, & rationes comprehendat. Enimverò Civitas illa & Hominum, & Angelorum cœtus est constantissimus: ex Iuris tam Divini, quàm Humani, & Angelici cōsensu deliberatissimus: in cōmunione honestissima summæ Utilitatis, ad Civis uniuscuiusq; gloriosissimā Beatitudinē, in Vno, Summoq; Bono, ipso DEO, suavisimè quiescentē, iugiter possidendā, ordinatissimè sociatus. Hunc cœtum in cœlesti hac Civitate ita sociatum, velut ex illa terrestri assumptum, Psalmographus demonstrat, subiungens. *Illuc enim ascenderunt* (in visione Prophetica suis temporibus adimplenda) *tribus, tribus Domini: tum Angelicæ; tum Humanæ: iuxta testimonium, per Scripturas Divinitus Israel datum: ascenderunt scilicet ad confitendum nomini Domini: ad nomen Domini laudandum, pro Iure Civitatis huius, tam liberaliter tot Civibus donato.* Sic Apoc. 4. 8. Animalia spiritualia concinebant illum Seraphicum, Iſaiæ 6 5. vericulum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, &c. Et cum darent illa Animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, prodeiebant de throno suis viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno & adorabant viventem in secula seculorum: & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus Noster, accipere Gloriam, & Honorem, & Virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Per illos viginti quatuor Seniores intelliguntur Civitatis huius primarii Seniores, vel potius Sacerdotes: alluditur enim ad totidem Principes Sacerdotum, 1. Par. 24. 4. autoritate Davidis constitutos, velut Summi Pontificis in sacrosancto Tribunali Assessores: quorum Illustrissimus confessus, Apoc. 4. 4. innuitur per collocata in Sedis Divinæ circuitu *sedilia viginti quatuor: & super thronos viginti quatuor Seniores sedentes: hos ipsos Rex David, ad probandam suæ Civitatis Ierusalem, admirandam in Consiliis, & Iudicii concordiam, assumere videtur asserens: Quia illic sederunt Sedes in Iudicio: Sedes super Domum David.* Quo pertinet ille Thronorum Chorus, in Angelorum suprema Hierarchia tertius, à Seraphinis ardorem Charitatis, à Cherubinis lucē Divinæ Scientiæ participans, ut inde, quasi à Supremo Divinæ Providentiæ Throno, Dei Pax, cum eiusdem Institia: Dei Veritas cum eiusdem Bonitate, ad inferiorum Ordinum Hierarchias, in administrando Ecclesiæ Militantis Negotio peculiariter ordinetur.

Ierusalem hanc in cœlo ita formatam Ioannes Apocal. 21. 2. videbat cœlitus à Deo in terram descendere, ut ibidem aliquam sui formam exprimeret. In quam Terræ plagam Ierusalem illa Civitas Nova descenderit, prudenter à Ioanne subicitur: nec enim descendit in determinatam; sed in universam Terram. Descensus hic per Christum, quasi *Lapidem sine manibus de monte abscessum*, Dan. 2. 34. exprimitur: qui percussis, & dissipatis Mundi huius Dominiis; Principatibus, Regnis, & Monarchiis, per umbratilem statuam à Rege Na-

buchodonofore fomniatam exhibitis, factus est *Mons magnus*, & implevit univ<sup>er</sup>sam Terram. Secundum illud Isa. 2. 2. *Et erit in novissimis diebus preparatus Mons Domini in vertice Montium: & elevabitur super colles: & fluent ad eum omnes Gentes:* Nec potest Matth. 8. 14. *Civitas hæc abscondi supra Montem huic positam: de qua suis Hebræis cap. 12. 22. Apostolus congratulans: Accessistis, inquit, ad Sion montem, & Civitatem Dei viventis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis. Non enim, cap. 13, 14. habemus hic manentem Civitatem, sed futuram inquirimus, nimirum cœlestem, in quam ex illa terrestri legitime ascribamur. Legitimus ascribendi modus, à trium Civitatum Ierusalem cōmuni Participatione in unum id ipsum adunata dependet. Sicut enim umbra corporea in trīsecus mera Lucis privatio, & purum nihil; extrinsecus tamen Corpus aliquod, illudque duplex: alterum velut Medium opacum; alterum velut Principium luminosum participat: ita Civitas illa umbratilis, terrena Ierusalem, cum omni totius Mundi Fabrica, & Politia, subordinari debet alteri velut Mediæ Civitati, nempe Corpori Ecclesiastico, infernè quidem obscuro; supernè tamen sic illuminato, ut à Civitate superiore, nimirum cœlesti, lumen suum hauriat, quo illustrata, suam Infimæ Civitati Vmbram communicet: Itaque Civitas inferior ad superiorem continenter adspiret, quasi ad Medium, seu Finem, sine quo nec ritè formari, nec solidè ampliari, nec alicubi salva consistere valeat. Sic ergo Civitas Infima per Mediam, cum Suprema uniatur, secundum illud legitime ratiocinantium Axioma: QVÆCVNQVE SVNT EADEM VNI TERTIO; SVNT EADEM INTER SE.*

Callebat istam ex hoc Axiomate ratiocinandi formam Hieropolitarcha ille Typicus Oniades: qui per illam *prevaluit amplificare suam, & Infimam, & Mediam, & Supremam Civitatem Ierusalem*: tam singulis; quàm omnibus accuratè intendens, tum Civibus, tum Profelytis, ut quique suam in Civitate sua beatitudinem assequerentur: nec enim Civitas ritè ordinata dici potest, in qua non singulatim omnes Cives beatitudinis suæ possint esse participes. Vnde Cant 4. 3. *Anima etiam unius Hominis, velut Sponsa Christi ab eodem sic appellatur: Pulchra es Amica mea suavis, & decora sicut Ierusalem.* Totius enim Civitatis decor ex singulorū Civium decore cōstituitur: & ab unius membri dedecore totius corporis venustas infuscatur. Oniades ille sic particulatim, & singulatim univ<sup>er</sup>sam Remp. beans, peculiarem *adeptus est gloriam in Conversatione Gentis* propriæ, simul & alienæ: ita Civitate sua in Politicis terminis amplificata, *Ingressum quoq; Domus & Atrij, pro Sacris ad Ecclesiam* conventibus *amplificavit.* Plurimum huc momenti, & ponderis afferebant illæ vigintri quatuor Principum Sacerdotum: item septuaginta duæ aliorum Seniorum; velut Senorum ex singulis tribubus delectorum Senatorum SEDES, in quibus, hi Politica, illi Ecclesiastica Reipublicæ totius Negotia, Oniadæ suo dirimenda prætractarent. Insignem horum Seniorum in gubernanda Republica prudentiam intelligimus, ex insignibus eorundem Oraulis, velut ore divino responsis, coram Ægypti Rege Ptolomæo Philadelpho: hic enim cum Viros illos LXXII. sibi ab Eleazaro, Simonis Oniadæ Fratre, ac Successore adhuc novitio, transmissos Regali statim convivio exceptos, inter convivandum singulos, singulas Quæstiones Politicas, & quidem Basilicas interrogaret, ut in respondendo singulorum explora-

ploraret Scientiam: ea proponebat, quibus ipsi non tam verbo suo, quàm Oniadæ sui récenter adhuc defuncti, exemplo, in exemplum Oniadæ nostri respondere videbānrur. Nec hinc ingratum præsumimus, si nonnulla Ferula Regalia, ex huiusmodi Convivio Basílico relata, eidem fortè non infida; certè non obfutura, humillimè offeramus: præsertim cum à Viris, ut creditur, in suo conclavi Hagiographis, quidni & in Convivio illo Hagiologis? proveniant: & ab Aristæo Regis Bibliothecario, fide bona referantur.

Inter alia Ptolomæi Quæsitæ, hoc erat:

**Quomodo Regnum incolume sibi Rex  
conseruet?**

Hoc, respondebat Interpres, módo:

**Si Dei mansuetudinem imitatus, Patientia, &  
Longanimitate utatur.**

Aliud in Quæsitis erat:

**Quomodo sibi Rex in suo Regno pariat, &  
conseruet Divitias?**

Interpres alius respondebat:

**Si Regno suo nihil indignum: si flagitiosè  
nihil agat: nec in vanis, aut inutilibus sumptum  
faciat: in Populum suum benignus, ac  
beneficus existat.**

Interroganti Règi ex alio:

**Quid Regi suum Regnum seruet?**

**Cura (dicebatur) ac Meditatio Regis; ne quid à  
Præpositis Regiis malè in Plebem agatur,  
seu committatur.**

Alius interrogatus:

**quos Rex Magistratus Regno suo præficiat?**

Respondebat:

**Osores Iniquitatis.**

Alius:

**quos Exercitibus Duces?**

Hic ad illud:

**qui Fortitudine simul, & Iustitia excellant: Ho-  
minūq; salutem cruentæ Victoriæ anteponent.**

Quære.

Quærebatur ex alio:

**Quid Regi maximè sit necessarium?**

Respondèbatur ab illo:

**Subditorum Amor, & Dilectio.**

Rex alium interrogabat:

**Quomodo se diversis sui Regni Populis amabilem faciat?**

Respondèbat illè:

**Si decenter unicuique sua distribuens, Iustitiam Ducem prosequatur.**

Alià Quæstio Regis erat, velut summa reliquarum omnium:

**Quid in Regno suo difficillimum sit Regi?**

Summam quoque aliarum omnium Responsum habebat compendiosa Responso hæc:

**Sibi metipsi Dominari: nec inordinatis efferrī Affectibus.**

Has, & similes his Quæstiones, ab illo Ægyptiorum Politarcha subtiliter propositas, eidem subtilius resolutas, Hieropolitarcha ille typicus Oniades, Antitypo suo, velut Regium Exemplar, suis demonstrabat Exemplis, quando suis tam periculosis, & calamitosis temporibus, *prevaleuit amplificare Civitatem* ita desolatam, eandemque vario sumptu indies munitare, ad propulsandam, si qua deinceps ingrueret, Hostium præsertim vicinorum, seu impressionem, seu obsidionem.

Amplificatio illa Civitatis Hierosolymæ, quomodocunque facta sit, rectè, prudenterque factam, Hagiotypographus noster satis insinuat Oniadæ nostro Antitypo: qui An, & Quomodo PADIFONTANAM SVAM HIEROSOLYMAM deinceps amplificet, nostrum est ipsius Principali Arbitrio relinquere. Sunt interim qui optent, salvo tanti Principis Auspicio, Civitatem illam, quæ, si naturam loci spectes, inter amœnissima, & florentissima totius Germaniæ, tum Athenæa, tum Emporia, fortassis & Nobiliora Propugnacula recenseri possit: ad id paulatim ab Oniade suo præparari. Sed Architectura nostra, ipse tantus ARCHITECTVS non eget: Ideam sibi metipsi formare potest, si nondum habet. Nos ipsummet Nostrum Oniaden in Civitate sua; & Civitatem nostram in Oniade suo mysticè adumbratam intueamur. CIVITAS enim Iudicio Aristotelis, 3. Polit. 3. est instar unius Hominis, eiusque Personam repræsentat, velut Corpus aliquod mysticum, in corpore vivi Hominis quadantenus efformatum: prout efformat Plutarchus de Doct. Principum, ad Traian. his verbis: CAPVT omnium est PRINCEPS, apud quem Imperii summa est. OCULI, quibus videmus, VIRI in Republica boni sunt, quorum ductum sequimur. AVRES, quæ audiunt, quod dicimus, Subditi sunt, qui imperata peragunt. LINGVA, qua loquimur, sunt

Erudi-

Eruditione insignes Viri, ex quibus Leges, & Disciplinae audimus. CAPILLI de Capite penduli, sunt Iniuriâ affecti, qui Regis opē implorant. MANUS, & BRACHIA, sunt Equites, & Nobiles, qui Hostem reprimunt. PEDES, qui omnia sustinent, sunt Agricola, qui victum omnibus Ordinibus subministrant. OSSA dura, quæ carnem fulciunt fragilem, sunt Viri Sapientes, qui onus Reipublicæ sustinent. CORDA, quæ palam non videmus, sunt Intimi Familiares, qui suum in arcano dant Senatui Consilium. Deniq; COLLUM, quo Capiti Corpus cohæret, Amor est Regis, & Regni, ex quibus constat Civitas. Hucusque Plutarchus. Ecce Oniaden in Civitate sua; & Civitatem in Oniade suo peculiariter viventem, paulatim crescentem, uberrimè germinantem, prudenter operantem, & quasi ab una, eademque Anima in eundem vitæ scopum omnia dirigentem.

Ille Typicus Oniades, amplificando Civitatem suam, adeptus est Principalem Gloriam, in admirabili Conversatione Gentis, tum suæ; tum alienæ, obstupescens Principem in adversis non minus, quàm prosperis, æquè Magnanimus, æquè Gloriosus: qui Politarchiam suam, Hierarchiæ suæ prudenter Subordinans, Civitatem Principaliter amplificando, simul & *Ingressum Domus* Dominicæ, pro suis Levitis, & Sacerdotibus: & *Ingressum Atriij* Vtriusque, tam Gentilitii, pro Alienigenis, Profelytis, & Advenis; quam Israëlitiis, pro suis Popularibus, & Civibus, magnifice ampliavit: memor in primis Laterum Aquilonis, unde maximum Templo, & Civitati periculum, ab Hostibus olim probatum, deinceps timendum imminabat. Noster ille Antitypus Oniades, ut ominamur, prævalebit cum illo Typico amplificare CIVITATEM suam tripartitam, supra expositam. Interim omnibus eiusdem Lateribus, præsertim Aquilonaribus finitimis, accuratè muniendis invigilandum Hieropolitarchæ Limitaneo, cui usque ad Polum Arcticum, & ultra, nec Murus, nec Antemurale superest alicuius fidelis Ierusalem: ut iam quoad illas Ecclesiæ Aquilonaris partes, olim florentissimas, lamentari cum Ieremia Threnode liceat: & illud Thren. 2. 8. iterare: *Cogitavit Dominus dissipare Murum Filie Sion: tetendit funiculum suum: & non avertit manum suam à perditione: luxitq; Antemurale, & Murus pariter dissipatus est.*

Attamen consoletur, & confortet Nostrum Oniaden Isaias Melodes, commutans Threnum in Melos, dum caput 26. ita exorditur: *In die illa cantabitur canticum illud in terra Iuda: Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator: ponetur in ea Murus, & Antemurale: Aperite portas, & ingrediatur Gens Iusta custodiens veritatem: Vetus error abiit: servabitur Pacem: Pacem, quia in te speravimus. Sperastis in Domino, in seculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* Ita sperare iubet Noster in Domino sperans Oniades, aliquando Marcanus HEROS, nunc Marcam suam egressus, ad Padifontes Hieropolitarcha: cui Marcam illam novam Padifontanam, velut extremum S. R. E. Marchionatum, adversus Finitimos, per suam cum ipsis CONVERSATIONEM ampliatum iri confidimus, ut ex Antagonistis invicem Synapsistæ facti, & pariter conspirando prævaleant instaurare collapsas, & instauratas amplificare, quaqua, præsertim Aquilonem, versus, olim fundatas tot almas Religionis Catholicæ Alumnas, & Altrices Hierosolymas: quibus in unam Ierusalem adunatis, per suos Hierarchas Politarchæ *Ingressum Domus & Atriij* cœlestis, Verbò, Exemploque Principali magnifice aperiant in terris, & magnificentius in cœlis amplificent. Ita suam tum in Cœlis; tum

in Terris; tum in Cœlis adeptus est Gloriam Oniades ille typicus; Nos Antitypo eandem intimè apprecamur, præsentantes illi HEROÏCA SYMBOLA, verè Gloriosa, quibus HER OVM sui Oniadæ Typici Hagiotypographus adornat, ut Antitypus per illa, sicut per Trophæa Miltiadis Themistocles, ad inchoatam Gloriam consummandam inciteretur. Memoriam eorundem, pro eiuſdem Oniadæ Nostri Memoria, repræsentabit, quod in sua Epigraphæ Mundi conditi, Annos demonstrans hîc exhibetur

HieropoLitarChæ gLoriosI horoLogIVM,  
 In aVgVſto ILLVſtrIs HorI aMphItheatro  
 à MVsIs HoroſCopIſ  
**THEODORO ADOLPHO,**  
 PrInCipi & HoroſVo gratuloſo,  
 rItè LIneatVM,

Sub hoc, Annos Chriſti demonſtrante Indice  
 Horologico:

En

Iſte OnIaDes qVasI typVs,  
 In ſVo antItypo

THEODORO ADOLPHO,  
 exIſtens VerVs HorVs, & HoroLogVs.



Elebris ille apud Romanos, ut Autor est Plin Hist. Nat. lib 36. cap. 15. Spectaculorum Præbitor, Caius Curio, ex Tribuno plebis, apud eodẽm, ritu gentilitio, Pontifex Maximus, Funebre Patri suo Munus corã Populo daturus, bina in publicum adduxit ex ligno amplissima Theatra hemicycla, versatili suorum cardinum libramento artificiosissimè suspensa, quibus insidens Populus Romanus, in diversa per dies aliquot Spectacula, non periculose minus; quam ingeniosè, circumactus, novissimo tandem die, binis Theatris hemicyclis in unum encyclicũ Amphitheatrum coeuntibus, ad Principale quoddam, velut Athletica Victoria gloriosum, Spectaculum intuendum cogereetur.

Hoc triforme Romani Curionis Pegasus, Oniadæ suo Curioni Maximo Hieroglyphicum, Nostri Musæ cum suis Horis, Horo suo, & Apollini, suo inquam, illustriſſimo Meca nati, & Principi Reverendissimo, velut eiuſdem adhuc Pueri, quondam Altrices; nunc autem Viri Alumnæ, sic in Theatro

atro Papyraceo, fabricari conata sunt, ut ligneum requirere noluerint : Oculis videlicet non tam externis; quam internis præparando Spectaculum, quale Apostolus ille Tragicocomædus, 1. ad Corinth. 4. 10. apparabat, hoc Prologo: *Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis, & Hominibus*: Imo nec opus erit Spectatoribus aliis, Oniades Noster ipse sibi meripfi, tam Spectator; quam Actor, suos hic Ludos dabit, non tam Funebres; quem Triumphales: interim Serios magis; quam Ludicos: nec tam Vulgares, aut Populares; quam Principales, ac Heroicos: universo tamen Populo, in sui Honorem, & Amorem Principis; imo & in Exemplum omnibus, ac singulis utiliter ad spectabiles: quibus videlicet unicuique, tam Subdito; quam Principi: tam Spectatori; quã Actori, suum proponitur ad Æternitatem ordinatum, in gemino Theatro versatili; nempe Diurno, & Nocturno, semper Mobile Horologium, iam inde à Mundo condito, per varias diverforum sæculorum periodos versatum, & porro versandum, usque dum bina singulorum Theatra in unum Particulare, singulis morientibus; omnibus autem una resurgentibus, Vniversale Amphitheatrum coacta, versari desinant.

Peculiariter tamen illud Horologium, in suo Amphitheatro, suum respicit Oniaden, suis videlicet Hieroglyphicis ab Hagiotypographo expressum Insignibus Hieropolitarcham: qui velut in gemino Theatro, tam Nocturno; quam Diurno, utrinque suos, Ecclesiasticos inde, hinc Politicos Greges, Animo Principali versans, in unum suaviter, ac fortiter, ideoque non ineffaciter cogere cogitet utrosque Amphitheatrum, in quo sit *ovile unum, & unus Pastor*: Itaque singulorum Theatra hemicycla, in suum, tam Particulare; quam Vniversale Amphitheatrum coacta, suam Beatitudinis Æternæ quietem inveniant: & sui, tum Hori; tum Horologi, tum Horologii, Rationes admirabiles, in altissimis Dei Consiliis præordinatas, cum peculiari gaudio intueantur.

Huius nostri Horologii structura in Amphitheatri medietate, velut in Æternitatis centro designata, per Musarum Enneadem, Horarumque Triadem, vtramque suo Apollini, & Horo deuotam; sic disponitur, vt & Musæ suas Horas, & Hora Musas: vtrâque; suum Horum, in suo Amphitheatro circumeuntem aspiciant: suum Horologum Diametros Amphitheatrales dimetientem observent: suumque Gnomonem Horologicum, in uniformi Horologio difformiter conformiter suas Horas demonstrantem adumbrent. Horarum prima EVNOMIA Legislatrix, bene distribuens omnia, suum Horum NOMOTHEAM: Altera DICE, omnia legitimè iudicans, suum Horologum DICÆARCHICVM: Tertia IRENE Pacificatrix, omnia ritè concilians, suū IRENÆVM, quasi Gnomonem Horologicum, suis Horis demonstrandis, umbratenus Mobilem, revera Immobilem ostendet. Horarum Triadi Musarum Enneas immixta, Choros Apollini, Horoque suo, adornabit Horoscopos, varias horas per suum Gnomonem in variatum, ab horologo demonstratas commemorans. Gnomon iste nostri horologii, ut & horologus, & horus, est ille typicus ONIADES Consummator, Antitypum suum adhuc Viatorem adumbrans: Vir Principalis: verus heros: Illustris horarum Principalium Repræsentator; sed quasi per umbratilem figuram illas repræsentans. SCHEMA totius adumbrationis ita per Musas, & HO-

ras nostras ordinatū est, ut hieropolitarchæ nostri Stemmata duodecim hieroglyphica, eodem, quo hagiotypographus Ecclesiasticus illa recenset, ordine, in Proscenio veniant, ibidem horo suo, & horologio suum in Gnomone suo, representatum horologium, pro quaternis Anni temporibus, per horas ternas ita distributis, ut Anni quaterna tempora singula, ternas horas: horæ porro ter quaternæ, scilicet duodecim, tum Diurnæ; tum Nocturnæ, Diem, Noctemque sui hori, & horologi ordinatè comprehendant. Omissis autem variis, & horarum, & Musarum parergis, ad theatricam Scenam pertinentibus, hic Proscenii totius Argumentum, & Summarium, primitivis tantū Figuris delineatum exhibere suffecerit, in Memoriam, tū nostri Oniadæ, hoc, ut hætenus, ira deinceps, accuratè usuri horologio: tum etiam Posterorum; à quibus aliquando eidem Oniadæ suo, hieropolitarchia sua, quam diuturnam illi, & optamus, & auguramur, cum

Gloria perfuncto, his ipsis Stematibus, una cum Gentilitiis, ad ipsius Mausoleum appensis, gloriose parentetur:  
occurrit ergo

Primum in  
HIEROPOLITARCHÆ ONIADÆ  
HOROLOGIO,  
TEMPVS HYBERNV M,  
IN TRIBVS PLANETIS  
Ab Hagiotypographo  
expressum.



Berrasse Musis aliis, non tamen Vranix suæ, videbatur hagiotypographus, qui Oniaden suum, & Horum, & Horologium, in Horologio suo PLANETICVM exhibuerit, quasi Erroneum, imo Erronem ipsum, qui PLANETA nominetur. Sic enim Iudæ 13. hæreticos in primitiva Ecclesia fuisse nominatos *Sidera Errantia*. sed non observarunt id, quod ibidem subsequitur: *Quibus procella tenebrarum servata est in aeternū.* de quibus 2. Petri 2. 17. *Hi sunt Nebula turbidibus exagitata, quibus caligo tenebrarum reservatur.* & Isaiæ 14. 12. determinatè ad unum ex ipsis primarium Hæresiarcham: *vidi stellam de Calo cecidisse in Terram: & data est ei clavis putei abyssi: & aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magna & obscuratus est Sol, & Aër de fumo putei: & de fumo putei exierunt Locusta in Terram, similes equis paratū in prælium, & habebant super se Angelum Abyssi, cui nomen hebraicè ABADDON, græcè autem ὁ ἀπολλύων, latine habens nomē EXTERMINANS.* Vna Musarum in Horis Apocalyptis rudior; Hæc inquitabat, Antichristum respiciunt: nec huc; sed ad Mundi Horam novissimam pertinent.

ñent: cui alia eruditior apertè opponebat illud , ex I. Ioan. 2. 18. ad suos dicentis: *Filioli, Novissima Hora est: & sicut audistis, quia ANTICHRISTVS venit, & nunc ANTICHRISTI multi facti sunt: unde scimus quia Novissima Hora est. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis permanissent usq; nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.*

En gravissimam in Humana, ex Angelicà oriundam Hieropolitarchià NEBVLAM: qua, velut Cauda sua, unus ille primus hæresiarcha Lucifer, pro ut olim cælestes illos Spiritus; ita post & Homines, in primis autem Politarchas, & Hierarchas, *Tertiam Stellarum Cali partem*, Apoc. 12. 4. in suam adversus Christum factionem attrahit, & dispergit, quasi *Nebulas*, 2. Pet. 2. 13. suis Errorum, Schismatum, Bellorumque *Turbinibus exagitaras*: quibus dissipandis, iam tum ab initio Mundi; convenientes PLANETAS NOVOS Deus excitat, velut primarios Divinæ Lucis Angelos, & Gratia supernaturalis Administros. Vnde Summus ille Pontifex Christus, Apoc. 1- 13. *in medio Candelabrotum aureorum*, suas Ecclesias representantium, deambulans, ut ea sibi per suum illud Ecclesiasticæ hierarchiæ Trivium peculiare, suis Mediis purificet, illuminet, ac perficiat: v. 16. *Habet in dextera sua Stellas septem*, quasi totidem PLANETAS, nimirum Septem Ecclesiarum, quibus omnes aliæ, iuxta Bibliacarti phrasin, comprehenduntur, Angelos, seu Episcopos, velut pretiosissimos Lapidés, Planetarum instar, suis Digitorum Divinorum annulis insculptos, ut ita Christo suo peculiariter in hærentes, eidem singulariter, ut Instrumenta eiusdem Principalia; divinitus cooperentur. Divinitus, inquam: **Nihil enim Divinius**, inquit Magnus ille hierarcha Dionysius, quàm esse talem ipsius Dei Coadiutorem.

Inter hos Angelos numerabatur Ephesinus ille, S. Timotheus: qui, quod primum suæ Charitatis feruorem in suo Episcopatu non nihil remisisset, annos jam quadraginta ibi Episcopus, à suo Christo; velut Pontifice Summo, Apoc. 2. 1. sic admonetur: *Hac dicit, qui tenet septem Stellas in dextera sua: qui ambulat in medio Candelabrorum aureorum: Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, & age penitentiam, & prima opera fac: Sin autem, venio tibi, & movebo Candelabrum tuum de loco suo. Id ipsum fortassis & Apostolus eidem insinuaturn volebat, 2. Tim. 1. 6. his verbis: Admoneo te, ut resuscites Gratiam Dei, qua est in te per impositionem manuum mearum: Timotheus enim ab ipso met Paulo Episcopus ordinatus erat. Vnde quamvis inferri possit, quod ante obiciebatur: videlicet, huiusmodi Planetam in suis Motibus aberrare interdum, aut deficere: id tamen non tam Planetæ mobili, quàm ipsius Motori Angelo minus versato, imputandum: Nam Planetæ sic intra suorum Orbium terminos errant, ut ab iis nec unquam, nec, usquam per se aberrant, nimirum stabiliter instabiles, immobiliter mobiles uniformiter difformes: Itaque sapientis Hieropolitarchæ symbola verè hieroglyphica: *Omnibus enim Mobilibus*, Sap. 7. 24. *Mobilior est Sapientia*: nempe in huiusmodi Planetarum diversis Motibus ostendens, Hieropolitarchæ, in sua hieropolitarchia, velut in Horologio, suos inter Motuum perpetuorum Cyclos, ac hemicyclos, ex amussim legitimè, continenter procedendum.*

Subtiliter id admonēbat Gregorius ille Nazianzenus Episcopus, alterum Gregorium Episcopum Nyssenum, Magni Basilii Fratrem, epist. 34. sic

cundem in suis hinc inde Motionibus animo fluctuantem consolans: **Locorum circuitu** angeris, tibi que instabilis esse videris; quemadmodum ligna, que aquis feruntur. Absit, **Vir** eximie, absit, ut ita affectus sis: illorum enim cursus coactus est; tuus autem **Circuitus** Deo gratus, & acceptus: fixumque tibi, & stabile, multis prodesse, quamvis loco minime fixus sis. Nisi vero quis **Solem** accuset, quia in orbem currit, radios fundens, atque omnibus rebus, quas obit, vitam afferens: aut etiam inerrantes **Stellas** laudans, **Planetas** vituperet, quorum error quoque ipse compositus, & concinnus est.

**MOBILITAS** ergo Planetica Hieropolitarchicam legitime tuetur: Sed intuenda nunc speciatim illorum trium **PLANETARVM** Facies, in Oniade suo relucens, Anni tempore Hyberno. Ecce cum **HORA** Prima, in primam Temporis hyberni Scenam, ipse Oniades progreditur,



Ravissimam Nebulam, prout in Asia quondam, sub Oniade illo typico; sic & sub **ANTITYPO**, in universa Europa, praesertim vero in Germania nostra, iam dudum excitatam vidit, & sensit, praesertim alijs Provincijs, incubantem sibi haec **PADIFONTANA** Regio: an innocenter; an nocenter, ipsa viderit. Certè prima huius Nebulae malignae Origo erat ille malignus in coetu Angelico Planeta Lucifer, primus omnium Antichristus, pessimus **HOROLOGII**, tum Angelici, tum humani, & **Gnomon**, & **HOROLOGUS**, & **HORUS**. Vnde **Apoc. 12. 7.** *Factum est praelium magnum in Caelo: Michael, & Angeli eius praeliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat, & Angeli eius: non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in Caelo. Et proiectus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit universum Orbem: & proiectus est in Terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam, in caelo dicentem: Nunc facta est salus, & c.*

Nam ille PseudoLucifer Antichristus, Christi Domini sui Regnum superbe affectando, suam & Politarchiam, & hierarchiam, in suos, tum Angelos, tum Homines, à Deo sibi honestissimè concessam, turpissimè amisit, coactus utramq; illi cedere Lucifero, qui sese, Apoc. 22. 16. per Angelum suum, hoc Authentico Diplomate promulgabat, dicens: *Ego Iesus misi Angelum, meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis: ego sum Radix, & Genus David: Stella splendida, & MATVINA: Diem scilicet, Noctemque spiritualementum in Angelis, tum in Hominibus, confusam dirimens: Iudæis HESPERVS die Veneris ad Vesperam in Cruce occidens; Christianis PHOSPHORVS, die Solis, à sepulchro cum Aurora exoriens, Christianæ Gratiae Diem auspicans, Noctem Legis Mosaicæ consummans: auspiciatum porro, cum Antagonista Lucifero, & Angelis eius, prælium, ad finem usque Mundi, per Angelos meos gratiosè continuans, id ipsum per eosdem gloriosè consummaturus. Ita ergo illius Prælii calamitas ab ipso Mundi exordio, ad hunc usque diem, à Cælo ad Terram, ab Angelis ad Homines, à diversis in Europa Regionibus, ad nostros usque PADIFONTES, quasi exitiosa NEBVLA diffunditur, adversus Dominum, & adversus Christum eius, ordinantem interim, suos in suo Regali Sacerdotio, & Sacerdotali Regno, Vicarios, tanquam novos LYCIFEROS, novæ Lucis Angelos, novæ Gratiae Principales Administros, qui velut STELLÆ MATVINÆ IN MEDIO NEBVLÆ, suos à Christo sibi communicatos influxus, contra eiusmodi Nebulam, ordinate ad vitam æternam; Orbi universo dispensent.*

Huc pertinet ANGELVS ille Apoc. 2. 18. *Thyatire*, ad Lycum amnem Civitatis famosæ in Asia, Episcopus S. Carpus Martyr, Oniadæ nostro in STELLÆ MATVINÆ titulo, singulariter parallelus: cui à Christo suo ita scribitur: *Hæc dicit Iesus, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco. Novi opera tua, & Fidem, & Charitatem tuam: & Ministerium, & Patientiam tuam, & opera tua novissima plurâ prioribus: sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel quæ se dicit Propheten, docere, & seducere servos meos. Quæ nã illa sit Iezabel an certa Persona illius nominis; an certarum Personarum infidelium Synagoga, incertum est: illud certum, ad illam alludi Vxorem impiam Regis Achab, 3. Reg. 18. & 19. Eliæ, aliorumque sanctorum Prophetarum hostem capitalem: adversus quam Apoc. 2. 26. Thyatirenis à Christo STELLA MATVINA promittitur. Illam, ad Lycum, in Asia, Thyatiram Seleucus Politarcha Syriæ, nostro Simoni Oniadæ Hieropolitarchæ Typico *συνιστην*, ita olim denominavit, à recenter sibi nata *θυατιρε*, id est, Filia, ut Strabo, & Plin. testantur. Noster ille Antitypus ONIADES, hanc suam ad Paderæ Fontes Paderbornam, velut recenter sibi natam Filiam, imo & Sponsam, nomet lre suo Thyatiram Paderanam, futurus illi, ut omjnamur, & CARPVVS, & POLICARPVVS, nempe fructuosissimus Episcopus, adversum qualescunque, tum Achabos, tum Iezabeles, Christi hostes, Vineæque Nabothicæ insidiantes, Hierarcha vigilans, repugnans Politarcha. Id omen exoritur Paderæ cum STELLA ipsi MATVINA lucente in MEDIO NEBVLÆ: in medio Calamitatis, & Miseriæ; qua totanuis Regio Paderana undequaque afflictaur.*

OMEN illud etsi Musis, & Horis maximè complaceret, uni tamen  
Calliope

Calliope, suorum Heroum alternantem Fortunam recordanti suspectum videbatur, suspicionem obiter sic insinuabat: OMEN tam de malo, quam Bono imminente dicitur: STELLA illa, vt in bonum, sic in malum ominosa perhibetur. Sicut PHOSPHORVS Bonæ, ita HESPERVS Malæ Fortunæ prodromus: ille Diem; hic noctē instantē annuntiat. Ita est, inquit, respondens Calliope: Vrania: imo stella ista sicut Angelorum Hierarchæ Luciferi, ita & Balthasari Babyloniorum Politarchæ caduca fuit, dum. Isa. 14. 12. alter Cyro; alter Christo rebellis cecidit: Vtrumque Propheta interrogante: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* vterque nimirum sua dementatus Nebula Superbiæ, contra suum Archieropolitarcham, temerario ascensu in altum elevatus, graviore lapsu in profundum decidit: alter Isa. 14. 14. *Simili esse volens Altissimo:* alter Dan. 5. 2. velut Pseudohierarcha, in Vasis Hierosolymitani Templi aureis, & Argenteis, quæ Pater ipseus Nabuchodonosor sacrilegè rapuerat, cum suis Optimatibus, Vxoribus, & Concubinis impie luxurians: eadem, qua sic luxuriabatur, vespera tendens ad Noctem, qua numeratus à Deo, & minus habens inventus: Regnum suum Persis, & Medis dividendū relicturus erat, ipse à suis occidendus, & in æternæ Mortis Noctem horrendam occasurus, ut HESPERVS, non PHOSPHORVS.


Hesperum Noctis; Phosphorum Diei prodromū: illum Adversæ; hunc Prosperæ Fortunæ Symbolum fingeat imperitior Antiquitas. Oniades noster suæ, tam in adversis; quam prosperis casibus, Fortunæ, suam per Virtutem dominans, nullibi HESPERVS: ubique PHOSPHORVS: EPIMETHEVS nunquam; semper PROMETHEVS, à suis expectandus, in hoc Symbolo aspectandus proponitur: velut accuratus HOROLOGVS, ab horo suo, in horologio suo, nunquam, nusquam, neutiquam, illegitimè discedens. Admirabilis profectò, & singularis inter Phosphorum, & Solem, quasi de Pulchritudine sua contententes, invicem gratiosa collusio. huius ille formam, ex ipso Veneris nomine, quasi deperire videtur, libentissimè disparsens, dum ipse appareat, interim libenter illi comparens: Semper enim Stella ista, ut Martianus lib. 8. de Astronomia observat: licet à Solis orbe plus quadraginta sex partibus aberrare valeat, in suo tamen posita circulo, eum varia diversitate circumdat: aliquando enim transcurrit; aliquando subsequitur, nec comprehendit: aliquando superfertur; nonnunquam ei subiacet: nunc ultra Circulum Anni retrogreditur, & collustrat Orbem tardior: nunc ad ortum Solis: nunc ad eiusdem occasum effulgens: sola que fulgori Solis emergentis diu conspecta non cedit. hæc inter hosce duos venustissimos Planetas individua Sympathia Venustatem nostri horologi cum horo suo, per suum horologium, ad omnia venientis, & omnia venustantis adumbrat, Nebulam qualem qualem Padifontibus, & Rivi Paderanis adhuc incubantem dissipatura: prout quondam Oniades ille typicus Hierosolymam suam in Medio Nebula, caligantem, suo influxu serenavit. Vtrique suam à suo Phosphoro serenitatem congratulatur Propheta Michæas, Paderbornam, velut alteram Solymam, cap. 4. 8. his verbis compellans: *Et tu Turris Gregis Nebulosa filia Sion, usque ad te veniet Fœstas prima, Regnum Filie Jerusalem: ubi per Turrim Gregis, Templum Solymæ Turritum, vel ipsa, per Turrim Templi sui, Turrita Solyma, velut Populi à Deo illuc peculiariter congregati Locus, per*  
 Captivitatem

Captivitatem Babylonicam dirutus, pristino decori suo restituendus prædicitur. Herois Calliope id ipsum Paderanæ Solymæ, ab heroe suo, quasi Phosphoro eventurum augurans, pro Augurii testimonio, Annum Phosphori, ab Orbe condito hucusque numeratum, sic exprimebat :

PaDeranVs hIC OnIaDes In tantIs PaDeræ  
 ConFLICtatIonIbVs, perICVLIs, an-  
 gVstIIs, & MIsErIIs,  
 QVasI steLLa MatV tIna, In MeDIO nebVLæ.

Huic ONIADÆ sui Elogio, hanc Oden eadem Calliope  
 ita subtexebat:

QVousque tandem lucis inhospita  
 NOX Paderanis Fontibus incubas?  
 Frontemq; larvans contumacem,  
 Terrificas minitaris umbras?



NOX Capricorni longior, asperos  
 Gradus retardans: NOX in Aquarii  
 Hærens lacunis: NOX Diei  
 Hostis atrox diuturnioris:

Heu NOX perēnans: hinc Borealibus  
Furens Procellis ; inde tonantibus

Inæstuans Euri, Notique  
Nubibus, horrifonifq; Nimbis.

Heu NOX malorum grandine faxea!

NOX Paderanis dura Penatibus!

NOX triftis, atra, turbulenta!

Nox stygio nebulata rictu!

Faceffe tandem: PHOSPHORVS advenit:

En Punicano surgit in Æthera

Vultu, Diemque Paderanis

Spondet Aquis, & Agris serenum.

Ergo feputa Nocte, faceffite


Tenebrionum nubila: PHOSPHORVS

Affurgat, & lucem aufpicatam

Exhilaret, face SOLIS auctam.

Complacebat Mufis, & Horis, illud Calliopes, Ode fua coronatum,  
de Oniade fuo Augurium. Vna Clio maiorem ipfius Gloriam exigens,  
mirabatur Hesperum illi derogatum; arrogatum Phosphorum : itaque  
turbatum eiuſdem Horologium , in quo prætermiffa Nocte , ſubito ab  
extrema illius particula , in Diem procedatur , quam integra Nox præce-  
dat, & ſubſequatur, Oniadæ peragenda non minus, quàm Dies. Vnde  
magis ſerio , quam iocoſe allegabat illud Prophetæ Iſaiæ 21. 11. dicentis:  
*Onus Duma ad me clamat ex Seir: Custos, quid de Nocte? Custos quid de Nocte? Dixit Custos:  
venit Mane, & Nox.* Vbi Prophetæ ſuurn Idumæis onus Captivitatis à Rege  
Babylonis imminens, prædicturus , inducit eofdem Horologium ſuum  
Custodem Nocturnum , acclamando interrogantes , prout in hoſtili  
periculo interrogari ſolet: quora Noctis hora fit? quam procul Dies ab-  
ſit? quid rerum agatur? Prudens quidem, ut appareret, interrogatio ; mira-  
bilis porro ad illam reſponſio Custodis, reſpondentis: *Venit Mane, & Nox:* ac-  
commodata nimirum ad interrogantes Reſponſio; nempe Idumæos, te-  
nebriones, lucifugas; Iſraelitis germanis adverſantes: quibus plena Dies  
Conſolationis obvenire non poſſit, Nox Deſolationis plena ſemper immi-  
neat. Ut autem ſuum quoque Glorioſa Clio Reſponſum habeat: Ecce  
tibi

tibi, ONIADES ille typicus Idumæorum hostis, Nocturnam sui HOROLOGII Scenam ingreditur, Præcone Hagiotypographo,  
Eccl. 50. 6.



Imium hic ab Horo suo declinare, fortassis quibusdam videbitur Noster HOROLOGVS, dum in Horologio suo Lunares potius, quam Solares Horas exhibiturus præsumitur. Quid enim Lunari Hora: quid ipsa Luna instabilis? quid mutabilis? quid imperfectius? Mirum ergo, cur Hagiotypographus Noster illum Oniaden typicum; Nos Antitypum, LVNÆ, quantumvis PLENÆ, tanta cum Gloria comparemus? immemores videmur illius ab eodem dicti; Eccl. 27. 12. *Stultus ut Luna mutatur.* Sed

acutè, ut solet, S. Ambr. 4. Hexa. cap. 8. **Non inquit, Luna est particeps stultitiæ, quia non Luna mutatur ut Stultus, sed Stultus ut Luna.** Stultus nimirum leviter, ac temerè, sine causa, sine ratione, Luna secundum Rationes, Causasque Divinas, in bonum Vniversi ordinatas, mobiliter immobiles, immutabiliter mutabiles, intra Orbem sibi à Deo, & Natura præscriptum, legitimè commoveretur, & rationabiliter suis temporibus, & locis, immutatur.

Nobilissimi, & Sapientissimi Romanorum, teste Plutarcho in Problemat. LVNVLAS, quasi Lunæ Imagines, suis in Calceis gestabant, ut admonerentur, & propriæ Mutabilitatis, & alienæ Observantiæ: LVNA enim primò obscure prodit: deinde Solari paulatim splendore impletur: factaq; jã splendidissima rursus deficit, & ad Nihilũ suæ Lucis redit; semper intendens OBSERVARE SOLEM, à quo suam Lucem participat. Id ipsum & Noster Hagiotypographus, in Lunari suo Typo expresserit, insinuans Mutabili POLITARCHÆ HIERARCHIAM immutabilem, quasi LVNÆ SOLEM, observandum, ut evadat legitimus HIEROPOLITARCHA, in quo suæ Hierarchiæ Politarchia legitimè subordinetur, ad constituendum pro temporibus Nocturnis exactum Oniadæ Horologium: ita enim videtur exigere paulo ante citatus Hagiotypographus, Eccl. 27. 12. dicens: *Homo sanctus in Sapientia manet, sicut Sol: nam Stultus ut Luna mutatur.*

Hanc suam stultitiam ostentat Lunaticus ille, nimirum Epilepticus, varius, & inconstans МАНОМЕТ, Lunaticorum Turcarum, scilicet Luna, velut insigni Gentis suæ, inaniter gloriantium, Pseudohierarcha: qui pro ut in Alcorano suo fabulatur, Lunæ partem Cœlo deciduam, Lunæ simul,

& Cœlo, per suos Politarchas restituat. Vtinam similem illi Stultitiam Christiani Politarchæ non exhibeant: dum suam, cum Machiavello, hierarchiæ Politarchiam subtrahunt; vel nomine tantum hieropolitarchico inaniter gloriantur; quibus rectè occiditur: *Stultus ut Luna mutatur*. Qui velut Matriflans Lunæ Filius, luceat in Terra hominibus; in Cœlo Cœlitibus lucere non curans, & Solis radios, nunc à fronte, nunc à tergo, ad homines conversus, recipiens, ut S. Greg. Nyss. lib. de Anima, & Resurrect. observat. Fit enim Lunæ Matris Nocturnæ Amasius, opera Tenebrarum affectans, oculisque Lunaticis, Honores Lunaticos erronee diiudicans eo maiores, quo magis à Sole iustitiæ disiunguntur. Sic ergo stultus Politarcha, ut LVNA, Mutabilis, commovetur intrinsecus, extrinsecus promovetur.

SANCTVS porro, tū Politarcha hierarchæ alteri; tum vero maxime unus idemq; sibi met ipsi legitime subditus HIEROPOLITARCHA, *In Sapiencia manet sicut Sol*: nihilominus tamē, quasi LVNA suo defectui obnoxius humiliter; suo intentē intentus profectui: suoque tam effectu; quam affectu, tum sibi, tum aliis insigniter fructuosus progreditur. *Et Luna*, inquit noster hagiotypographus Eccl. 43. 6. *in omnibus, in tempore suo: ostensio Temporis, & signum Ævi*. Quot verba, tot Lunæ sunt hic Encomia. Verbum illud: *Et Luna in omnibus, in tempore suo*: admirabilem LVNÆ, in omnia corpora sublunaria, ut appellant, efficaciam suis temporibus convenientem, historice indicans: longe admirabiliorem hieropolitarchæ nostri, longe altius, multo latius, & profundius, multo subtilius, ac efficacius, in, & pro suis, tum in cœlo; tum in terra; tum sub terra operantis Energiam, symbolicè insinuat. LVNA illa Typica dicitur: *Ostensio temporis, & signum Ævi* temporanei, suis Mensium temporibus, per suos dies Lunares, in primis Festos, distincti: *A Luna enim*, ut ibidem v. 7. asseritur: *signum diei festi*. Nam festum Neomeniæ, id est, Novæ Lunæ, in Novilunium, velut Mensis initium: Festum autem Paschæ, in primi Mensis Plenilunium, velut Initium reliquorū solennium Festerū incidebat: videlicet in XV. Lunam, seu Lunarem diem primi Mensis Nisan, qui nostro partim Martio, partim Aprili, respondet: illo enim per singulos Menses die circiter, Luna consummata, deinceps ad Novilunium usque diminuitur: admonens Hieropolitarcham nostrum, suæ tum per Naturam defectiois, tum per Gratiā perfectionis, qua sit quasi Luna perfecta, seu plena. Cui ex Psalmo 88. versiculus ille 38. accinatur: *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut LVNA PERFECTA in aeternum*.

Sed huic versiculo Antiphonam occinere contradictoriam videtur jam citatus Hagiotypographus: mox enim subiicit. *Luminare, quod minuitur in consummatione: Mensis secundum nomen eius est, crescens mirabiliter in consummatione, ubi Luna crescens, & decrescens, in consummatione sui metipsum, & sui Mensis, (quem velut continuo innovati, & innovandi cursus sui Mensuram ita denominat) instabilem humanæ sortis conditionem omnibus Hominibus, in primis autem Politarchis, & hierarchis exhibet, ut in tali statione positi, cum Luna Solem observent: à quo si recedendo deficient, ad eundem accedendo per suas Neomenias, quotidie iterandas proficiant, omnibus diei momentis iterando illud Politarchæ Davidis; Psal. 76. 11. *Et dixi: Nunc cœpi: hac mutatio dextera Excelsi*. Per huiusmodi Neomenias, seu perpetuo innovandas Luationes HIEROPOLITARCHA noster manet instabiliter stabilis: immobiliter mobilis: uniformiter difformis, &*

QVASI LVNA PLENA IN DIEBV5 SVIS LVRET: cum Hieropolitarcha Iob 17. 12. *suam Noctem convertens in diem, ob aspectum Solis: quem David in sua Politarchia, velut oculo Mentis nonnihil caligante, aliquando intuitus, Psal. 136. 11. dicebat: Et dixi: forsitan Tenebrae conculcabunt me: & Nox illuminatio mea, in delicijs meis: at mox illuminator, v. 12. ad eundem Solem conversus, aiebat: Quia Tenebrae non obscurabuntur a te: & Nox sicut Dies illuminabitur. Sicut Tenebrae eius, ita & LVMEN EIV5.*

Paradoxum videbatur plerisque Musis, & Horis omnibus eiusmodi Plenilunium Nocturnum, à quo tanquam Sole diurno, sui Oniadæ Horologium illuminaretur. Vna Horarum obstupescens, accinebat illud, ex oratione Habacuc, pro Ignorantijs, cap. 30. 11. *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo. Alia succinebat illud, Ios. 10. 12. SOL contra Gabaon ne movearis: & LVNA contra vallem Aialon.* Mysterium explicabat Vrania per Contextum v. 13. *Steteruntq; Sol, & Luna, donec ulcisceretur se Gens de inimicis eius. Nonne scriptum est hoc in libro Iustorum? Steterit itaque SOL in medio Caeli, & non festinavit occumbere spatio unius Diei, Non fuit antea, nec postea tam longa Dies, obediens Domino voci Homini, & pugnante pro Israel.* Quod historicè ad Iosue Polemarchum; id mystice ad HIEROPOLITARCHAM Nostrum pertinet. SOL, & LVNA PLENA, hæc ad Orientem; ille ad occidentem Cœli Regionem consistentes, Diem, Noctemque, in Oniadæ nostri Horologio immobili mobiliter conficiunt, ac perficiunt. Mysterium iuxta Mensẽ Lunæ Mobilis triplicem, ab HORIS agnitum, explicabatur: Mensis ille triplex alius est dierum 27. & horarum 8. quibus Luna motu sibi proprio universum peragrat Zodiacum; alius est dierum 28. quibus Luna Terræ Horizontem illuminat: alius est dierum 29. & horarum 12. quibus ita peragrat Zodiacum, & Horizontem illuminat, ut aliquam sui Mensis particulam, velut planè obscuram, infra Solem latens, eidem iubiungat, & coniungat.

In hoc unitrino Lunaris, ut appellant, Peragationis, illuminationis, & Coniunctionis, Mense, Via perfectionis triplex, in HIEROPOLITARCHA nostro suos purificante, ac perficiente, ita consummatur, ut per hanc, licet idem ubique sit Noster ONIADES, in se quovis tempore, QVASI LVNA PLENA, Solem absque ullo Terræ interventu aspiciens; in alijs tamen pro diverso eorundem aspectu, nunc maiorem, nunc Minorem Lunæ vultum induisse appareat: videlicet in sui Mensis Novilunio Plenilunium; in Plenilunio eiusdem Novilunium, per suam, tum in Politarchia, tum in Hierarchia Neomeniã representans. Illud Neomeniæ Mysterium Glof. in cap. 28. Num. super illo vers. 11. *In Calendis autem offeretis Holocaustum Domino, &c.* sic explicat

**In Calendis, id est, in Neomeniis, cum Ecclesia, vel Anima Soli Iustitiæ, sic propinquat, ut unus spiritus cum eo fiat, & per ipsum innovata, veterem Hominem abiciat.** Sed paulo explicatius id ipsũ doctissimus ille Origenes: qui, ut Cassiodorus loquitur, & Scripturarũ Interpretes communiter fatentur, ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo peius allegorizat: hic autem bene homil. 23. in Numer. ita commentatur: SOL IUSTITIÆ CHRISTVS est, huic si Luna, id est, Ecclesia sua, quæ lumine ipsius repletur, iuncta fuerit, & penitus ei adhaerit, ita, ut secundum verbũ Apostoli,

li, I Corint. 17. *Qui se iungit Domino, unus cum eo Spiritus fiat*, tunc festi-  
 vatem. Neomeniæ agit: tunc enim nova efficitur, cum abiecerit *Veterem*  
*Hominem*, Ephes. 4. 22. & induta fuerit *Novum*, qui *secundum Deum crea-*  
*tus est*: atque ita merito Innovationis solennitatem, quæ est Neomeniæ  
 festivitas, gerit. Tunc denique est, quando neque videri, neque compren-  
 di humanus aspectus potest, Anima enim cum tota se sociaverit Domino,  
 & splendori eius Lucis tota concesserit, nihilque omnino Terrenum cogi-  
 tat, nihil Mundanum requirit, nec Hominibus placere studet; sed totam se  
 Sapientiæ, totam calori Spiritus Sancti mancipaverit, subtilis, & spiritualis  
 effecta, quomodo cerni ab Hominibus, aut ab humanis aspectibus potest  
 comprehendi? *Animalis namque Homo*, I. Corinth. 2. 14. intelligere, & discer-  
 nere non potest *Spiritualem*, Et ideo dignissimè diem festum ager: & Ho-  
 stiam Neomeniæ Domini, utpote per ipsum INNOVATA IVGVLABIT. Ecce  
 Mysterium Neomeniæ in Hieropolitarcha Nostro, QVASI LVNA PLENA,  
 suâ Ecclesiam ita repræsentante, ut in sua Neomenia Pleomeniam; in Ple-  
 omenia Neomeniam: in Politarchia Hierarchiâ, in Hierarchia Politarchi-  
 am contineat: Itaque suum Hieropolitarchiæ Circulum Zodiacum, Pleo-  
 menia sua purificet, ac illuminet, ut eundem sua Neomenia perficiat: ita  
 eundem suis ad Creaturas Mensibus peragrans, ut in eodem uni SOLI DEO  
 semper adhærescat. Ita Oniadæ suo, velut alteri Noëmo, Terræ suæ, à Di-  
 luvio suo desolatæ Consolatori, Paderanus Orbis accinet illud Genes. 5. 29,  
 dictum Lamechi, ad Filium suum, NOË vocatum: *Iste consolabitur nos ab operi-*  
*bus, & laboribus manuum nostrarum, in Terra, cui maledixit Dominus*. Gloriosum Auguri-  
 um, Gloriosa Clio acceptans, præsentem sui Oniadæ inaugurati Annum,  
 ex Diluvii Noëfici Anno dinumeratum, præsentabat,  
 hoc Eteosticho:

Iste gLoriosVs Heros à MobILI fortVna  
 ContInenter IMMobILIs:  
 qVasi Luna pLena, In DiebVs sVIs, LVCet.

Id ipsum eadem Clio suis, ut poterat, versibus intexere conabatur, ad  
 hunc modum:


**E**N ISTE GLORIOSVS HEROS RECKIVS,  
 (THEODORVM ADOLPHVM nominant:)  
**A** MOBILI FORTVNA in omni casuum,  
 Etcalamitatum VORTICE,  
**S**TANS CONTINENTER Mobilis; & IMMOBILIS;  
 Immotus; & motus, simul:  
**P**OTENS moveri terminos intra suos;  
 Extra moveri non potens.

Sic Paderano iam recenter Phosphorum  
Sese probabat Climati

Titanis almi Prodrumus: noctem fugans;  
Diemque nocti germinans.

At nunc profunda Noctis horrendam specum  
Bigis obit Latoniis,

QVASI LVNA PLENA DIEBVS IN SVIS; Deo,  
Suisque lucet subditis:



Quasi Luna pleno semper aspectu micans;  
Nullis amicta Cornibus.


Stupet hanc stupendus Orbis Astorum novam,  
Inter Planetas, Cynthiam.

Stupet atra NOX, stupetque nocturnum Chaos;  
Et quidquid est noctis, stupet:

NOX dissipatur: NOX fugatur: NOX perit:  
NOX in DIEM convertitur.

Latere Paderana Tellus, en Tua  
NOX in DIEM pertransiit,

Nam ecce tuus Hieropolitarcha, qui *Quasi Stella Matusina, in Medio Nebula, quasi Luna plena in diebus suis, tibi lucebat, ecce in ipsius Solis Orchestram, ad suum Horologium ipsi conformandum progressus est cum Oniade suo Typico: nam teste Hagiotypographo,*  
Eccl. 50. 7.



**N**UNA SOLI, ut vidimus, coniuncta, Parelum genuit, nempe solem alterum. Verè *Iustorum* præsertim Hieropolitarcharum, *Semita*, Proverb. 4. 18. *quasi Lux splendens procedit; & crescit usque ad perfectam Diem: cuius principium SOL, verum Principis, tum Politarchæ, tum Hierarchæ, in primis autem HIEROPOLITARCHÆ Symbolum. Quodenim Sol, tum in Cælo, tum in Terra physice; id ethice Hieropolitarcha in suo tum Foro, tum Choro. Vds, inquit Hagiotypographus, Eccl. 43. 2. admirabile: opus Excelsi: nempe Organum quoddam, seu Instrumentum DEI vere admirandum, vere dignum Deo excelsio. Vas admirandos effectus habens: quos ut Ethnici per sua in Zodiaco fabulosa signa duodecim; ita & Iudæi per totidem in RATIONALI Pontificio Gemmas designabant: quibus videlicet, quasi Proprietatibus, & Virtutibus, SOLI attributis, omnes illi effectus à Sole producti responderent. Omissis hic illis fabulosis, & ad Zodiacum suum Circulum, item fabulosum, remissis, Oniadæ nostro, sicut Typico, ita & Antitypo, velut Horo, & Horologo, ad suum Principis Horologium legitime dirigendum, sufficiat illud suum RATIONALE Pontificiû, quod iam nuper ipsius Epomidi, Cordiq; imprimendû, exprimebamus, duodecim pretiosissimis Gemmis, quasi totidem suæ Diei HORIS, adornatum; de quâ ita Dominus ad Moysem, Exod. 28. 15. *Rationale quoq; iudicij facies, opere polymito, iuxta texturam superhumeralis, ex Auro, Hyacintho & Purpura, Coccoq; bis tincto, & Byssoretorta. Quadrangulum erit, & duplex: mensuram palmi habebit, tam in longitudine, quam in latitudine: ponesq; in eo quatuor ordines Lapidum.**

Allegoriam huius Rationalis Pontificiû, ad horum nostrum, & Horologium, in Circulo suo Zodiaco, velut Principali HOROLOGIO versatum, & versandum referunt, præter alios recentiores, duo Hebræorum Interpretû Primores, in rebus Iudaicis versatissimi: alter Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 9. verba prædicta interpretans: RATIONALE, inquit, medio superhumeralis insertum est, non aliter, quam Terra medium Mundi locum obtinet. Gemmarum etiam duodenarium, sive ad Menses retuleris, sive ad parempartium numerum eius Circuli, quem Græci *Zōdiakón* vocant, nequaquam à vera CONIECTURA ABERRARIS: alter Philo, de Vita Mosis lib. 3. sic habet: DODECIM Gemmæ discolores in Rationali, ternæ in ordines quatuor distributæ

butæ, quid aliud significant, quam ipsum signiferum Circulum? nam hic in quatuor partes, è signis ternis constantes, dividitur: atque ita HORAS ANNI efficit, Ver, Æstatem, Autumnum, HYEMEM, &c. & mox subiicit: **VARIETATEM COLORVM** in Gemmis ideo esse positam, quod Circuli signa singula, unumquodque suum colorem, & similes Qualitates in Elementis, aliisque Mixtis, tam Animalium, quam Stirpium generibus omnibus, dependenter à Sole, tanquam principali Causâ **PRODUCANT**. Quod in Mundo Elementari SOL, id Princeps, maxime Hieropolitarcha, in suo Territorio, per suum **RATIONALE**, ut iam supra vidimus, adumbrato: cuius decor, ut à duodecim his Gemmis, quasi totidem ANNI Mensibus, & Dici HORIS, per quaternam Temporum annuorum seriem, in **RATIONALI** expressis; ita & à Sole, harum Gemmarum Autore, ut oritur, ita conservatur, & augetur, clarum semper, à **SOLE** clarissimo, sibi nunquam absente, **DIEM** participans: unde Clarius Insula Rhodo, illud **CLARITATIS** Epitheton singulariter participante, quod, ut Solinus refert, in ea nullus, toto anno, tam nubilus dies, quin SOL appareat. Insigne profecto, si verum est, **HOROLOGII** nostri Solaris *Παράδειγμα*. Sed paradigmatici **RATIONALIS** nostri veritatem, in suis Gemmis Solaribus eidem **HOROLOGIO** accommodate ordinatam videamus.

In ordine primo, primus Lapis **SARDIVS**, ita dictus ab Insula Sardinia, quod ibidem optimus reperitur: vel à Pisce Sarda, carnem humanam referente, hinc & Carnerinus appellatur, gignitur in corde Saxi absque macula: coloris est ignei: tumoribus, & vulneribus, à ferro inflctis, medetur: sanguinem sistit: feras terret: gaudium excitar: Symbolum fit **ZELI** ferventis, quo & Vitia comburantur, & Vitiosi terreantur: inflammentur frigidi, tepidique: Boni manus indies lumen accipiant: Perfecti autem in eundem cum Deo, qui Deut. 4. 24. *Ignis consumens est*: Spiritum habendum exardefcant. Secundus in ordine primo Lapis est **TOPAZIVS**, colore partim viridis, partim aureus, teste Plinio, ita dictus ab Insula eiusdem nominis: in aspectu Solis mirificè radians: Medicina Lunaticis, Phreneticis, Luxuriosis, Iracundis, Tristibus: Plinio Lapidum omnium pretiosissimus: hinc eodem symbolicè adumbratur incensus Dei, & Proximi Amor, ex quo **ZELVS** illi, ex parte altera proximus oriatur; ex altera Spes, in eodem ordine assignata, per **SMARAGDVM**, tertium illius ordinis Lapidem: qui apud Theophrastum, Iaspidis virentis proles, Virore suo Aërem, & obiecta vicina imbuens, ac rutilanti splendore, fulguris speciem referens, mirifice visum recreat: solus inter alias gemmas sui aspectu oculos implet; non satiat: quin & ab intuitu aliarum oculi aciem hebetatam, exacuit; Gemmarum Scalptorius oculorum suavissima resectio, lassitudinem illorum, viriditate sua peculiariter demulcens. Insigne Hieroglyphicum **SPEI** Theologicæ, Intellectum, & Affectum Hieropolitarchicum, indies magis virescentem, ad cœlestia, & immortalia, semper virentia trophæa consequenda, excitantis.

Secundus in **RATIONALI** Ordo, habet Carbunculum, Sapphirum, & Iaspidem. Carbunculus, qui & Chalcedonius, & Adamas, & Rubinus, nominari solet, prope Chalcedonem, litorum Saxis, & scopulis innascitur, habens speciem Carbonis ardentis, græcè *Αδραξ*, id est, pruna ignita, seu Carbunculus, & Pyropus, quasi *πυρρον*, ignis faciem ostentans: igne non

calescit: in tenebris lucet: interius magis; quam exterius splendescens, ita ut prius candicet, ac deinde paulatim erubescat. Symbolum coelestis Sapientiae, cui humana Scientia coniungatur, in Subditorum erroribus, nocturnisque ignorantibus efficaciter corrigendis. SAPPHIRVS, coloris omnino caerulei, punctis ramen aureis interstincti, qualis apparet in caelo quaquaversum sereno; vim habens roborandi Cor, Visum acuendi, Melancholiam, Febrimque, singulariter Quartanam, expellendi, teste Alberto Magno: Serenissimam in Conscientia Hieropolitarchica quietem, variis Amoris Heroici affectibus, quasi punctulis, interpolatam exhibens. IASPIVS Gemma formosissima, plerumque viridis, maculis tamen rubeis, caeruleis, & albicantibus infecta, diversissimis Morbis remedium: Lapis ita solidus, & fortis, ut & Columnis ad aedificia insigniora deserviat, & Phantasias, Apprehensionibusque turbatis medeatur: Virtutem Heroicam, ac Theologicam FIDEM, supra Christum Petram fundatam, insigniter figurans, Hieropolitarchae in suam Architecturam utilissimus, imò necessarius.

Tertium Ordinem inchoat LIGVRIVS, seu Hyacinthus, instar floris Hyacinthi, colorem suum partim caeruleum, partim violaceum, ad Coeli mutationem, sic immutans, ut infuscetur à Nubilo, à Sudo hilarescat: Medicina Pestis, Morbisque aliis venenatis: Robur infirmi Corporis, Animi dolentis Gaudium: Figura humillimae in voluntatem Divinam Resignationis: quae tanquam Virtus, 2. Corint. 12. 9. in infirmitate perficitur: unde ibidem Apostolus infert: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me Virtus Christi: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis: in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum.* LIGVRIO secundus in eodem ordine subjungitur, Achates niger, hinc inde sparsim albis notatus Circulis, praesentissimum adversus venenatos Araneorum, Scorpionumve morsus Alexipharmacum. Visui conservando, & acuendo efficacissimum Antidotum: Praeclarum sollicitae Prudentiae Hieropolitarchicae monumentum: à quo Hieropolitarcha multo securior; quam Politarcha ille Troianus Aeneas, ab ACHATE suo fidissimo. Achati tertius in ordine subordinatur AMETHYSTVS, ita graece dictus, quasi NON INEBRIANS, seu Ebrietati resistens: Coloris violacei, ex rosco, purpureoque attemperati: Splendoris in vini ruborem deficientis: instar Succini attractivus: praesidium Vigilantiae constantis: Heroicae Patientiae subsidium: dignus inhærere, Calici ab Hieropolitarcha ebibendo: cui accinatur illud Symposiarchae Davidis Psalmo 22. 5. *Parasti in conspectu meo Mensam adversus eos, qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum, & Calix meus inebrians, quam praclarus est.*

Ordini quarto initiatur CHRYSOLITHVS, ita dictus à colore aureo, quasi marino, pellucens instar Crystallo: Solis instar exardescens: contrarius Asthmatis, Melancholiae, Pusillanimitati, & Timoribus nocturnis: Magnanimae Fortitudinis, & Spiritus Generosi augmentum: quo Apostolus excitatus, ad Philipp. 3. 8. dicere audebat: *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Proximus Chrysolitho Lapis ONYCHINVS, vel SARDONYX, rubescens, ut Sardius candescens ut ONYX; unguis humani purioris formam, & colorem insinuans: potens oculis, si admoveatur, pravos humores educere, animi tumorem suppressere, hilaritatem conciliare: aptissimum candidi Pectoris, Cordis aperti, & sinceræ Indolis, ut & Angelicae puritatis, seu

Castimoniae argumentum, HIEROPOLITARCHIS Angelis, Divinis quaquaversum Legatis, peculiare Viaticum. Postremus in ordine postremo, quasi unus ex quatuor Angularibus, in RATIONALI quadrato, Lapis est BERYLLVS, instar Aquae marinae, partim viridis, partim caeruleus, in flavū, pallidūque, singulari temperamento, desinens: figura sexangularis, ut ita Color eius, alioqui surdior, ac hebescens, isto angulorum plurium repercussu excitetur: vim habens inhibendi Catarrhos, gutturi, vel oculis imminentes; Agonizantibus in suos Antagonistas Orexin excitans. Praeclarum Virtutis TEMPERANTIAE Symbolum, Hieropolitarchis in perpetuo quasi Agone contententibus, propositum. *Omnis enim, 1. Cor. 9. 25. qui in Agone contendit, ab omnibus se abstinet impedimentis legitimis: & 2. Tim. 2. 5. Qui certat in Agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Agonem istum, seu certaminis Locum, seu ipsum Certamen interpretemur, utrique ONIADAE sua Insignia repraesentant: Typico suum Rationale, in trifariis Lapidum Agonisticorum ordinibus, ad militaris Aciei formam dispositis: Antitypo sui tres Ordinum totidem in Acie observandorum LATERCVLLI, sua CRUCE Victoriosa desuper insigniti, & adornati.

Lapides illi, Apoc. 21. 14. quasi *Duodecim Fundamenta* caelestis Hierusalem, qua SOL ille Noster ONIADES, quasi HORUS, & Horologus, per suum obambulat Horologium, in hisce Margaritis, ex LVNA PLENA impletis, fundatam, suisque Virtutum Lapidibus pretiosis consummandam, ab Hieropolitarcha, portante suum, in Pectore suo, RATIONALE IVDICII, obsignatum hoc Psalmi 118. versu 106. *Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiae tuae, o Deus, in hisce tuis duodecim GEMMIS designata.* Mirabantur attonitae rudiores Musae, novum illud, a SOLE novo, praesertim hybernis temporibus, in Regione Paderana, excitatum Principis ONIADAE HOROLOGIVM. Polymnia memor illius Antiqui per Assyrios Hierosolymis turbati Horologii, novum hoc suo adornabat Mnemosyno, annum praesentem, a primo Assyriorum Imperio, male auspicato, dinumerans, per hoc, de Oniade suo,

ELOGIVM.


IstI OnIaDæ nostro DeVs eXorItVr,  
 VeLVtI soL CLara pVrItate affVLgens:  
 VnDe,  
 QVasI soL refVLgens, sIG ILLe refVLsIt  
 In teMPLo DeI:

Elogio suo, eadem, non iam Polymnia, sed Polyhymnia, suis modulis, in hunc modum alludebat:

**H**ilares Genii Polyhymniadæ,  
 Anapæstigenas agitent choreas:

PADERÆ latices Choreis, hilari  
 Pede consiliant: pede Naiades  
 Hilari, Paderæ Genijs inhient:  
 Dryades saliāt, & Hamadryades.

Ovat en saliens Regio PADERÆ:  
 Salit ecce Solum: salit ecce novo  
 PADERÆ Soboles animata Solo:  
 Renovata Polo facies oritur:



NOVUS ONIADES NOV<sup>9</sup> Horologus:  
 NOVUS HOR<sup>9</sup> adest: nova Zodiaco  
 Datur effigies: nova præ foribus  
 VIA SOLIS adest: renovātur Equi,  
 Rota, Temo, Iugū: nova Rheda: novū  
 Decus, atque Iubar: quod ab ore Novi  
 Fluit ONIADÆ; Paderam recreans.


Procul

Procul hinc Aries: fuge Taure: fugam  
 Gemini capiunt, fuge Cancer; ab it  
 Leo: Virgo mane: Tuus ONIADES,  
 Tua Libra: Nepam fuga surripia L.  
 Fugit Arcitenens: fugit Ægoceros:  
 Fugit Hydrophorus: fugiunt pariter  
 Duo Squamigeri generis Comites:  
 Fugit illa vetus Via Zodiaca.  
 Fugit ONIADEN, fugit Horologum,  
 Fugit Astrologum, sibi degenerem,  
 Cui SOL typicus, velut Antitypo,  
 Deus irradians, sibi congenerem  
 Pariat faciem, Tibi fructiferam,  
 Aquilo sterilis, Cor Hyperboreis  
 Fatuæ Fidei Nebulis glacians.

Age SOL, Paderæ Iubar eximium,  
 Age, clarifica, recrea, releva,  
 Renova, repara: genera, solida,  
 Foris, atque domi; procul, & propius,  
 Vbicunquetuis opus est Radiis,  
 Bonus irradiat: Stygias abigant L  
 Radium Nebulas: & Olympicas  
 Nebulas adigant; ut ab irriguis  
 Paderæ scatebris viror exoriens,  
 Decus Æthereū paret ONIADÆ.



Omen Polyhymniæ adimplendum prælagiebat Vrania, deducens Musas, & Horas, à Sidereo Hybèrni, ad AERËV M VERNI HOROLOGII THEATRUM, quod prævio Hagiotypographo Typicus ille ONIADES, Antitypi Prodromus, ingrediebatur,



Rdinatè scilicet Hagiotypographus noster, iuxta sui Horæ, & Horologi Horologium, ab HYBERNIS temporibus, ad VERNA progrediebatur, ONIADEN Nostrum Hieropolitarcham exhibens, quasi ARCVM REFVLGENTEM INTER NEBULAS GLORIÆ. Famosus erat hic Arcus, maximè apud Israelitas, ex Historia Mosaïca, Gen. 9. 11, ubi Deus Oecumenicum illum, totius Orbis, & prope totius Generis Humani Cataclysmum, ad Noë posteriorum omnium Patriarcham, & Familiæ suæ, quantumvis tunc exiguæ, Hieropolitarcham, sic loquitur: *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquã ultra interficietur omnis caro aquis diluviij, neq; erit deinceps diluviũ disipans Terram. Dixitq; Deus: Hoc signũ fœderis, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, in generationes sempiternas: ARCVM MEVM ponam in Nubibus: & erit signum fœderis inter me, & inter Terram: cumq; obduxero Nubibus Cælum, apparebit ARCVS MEVS in Nubibus: & recordabor Fœderis mei vobiscum, &c.*

Huius Arcus Noëici memores Israelitæ, si quas in Republica sua tempestates paterentur, similem desiderabant ARCVM: & si quem Liberatorem divinitus acciperent, velut ARCVM IN NUBIBVS à Deo exortum accerabant. Ira Rex David 2. Reg. 1. 17. intellectu Saulis Regis, & Ionathæ, luctuoso interitu, Reipublicæ Israeliticæ acerbissimo, *Planxit plandum super Saul, & Ionatham filium eius, & in solamen afflictorum, præsertim suorum tribulum, præcepit, ut docerent filios Iuda, ARCVM: sicut scriptum est in libro Iustorum: Fortassis Hymnodiam, cuius initium fuerit: ARCVM meum ponam in Nubibus. Ut ut sit, Hagiotypographus noster, Oniadæ suo, velut alteri NOË, iuxta nomen hoc, in Adversis Consolatori Gratissimo, suum quasi ARCVM triumphalem, ad Nubes usque sublimem, posuit, applaudente Populo universo, & exultanti in verbis prognosticis Lamechi, vocantis nomen Filii sui, NOË: ac dicentis: Gen. 5. 29. *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum: in terra cui maledixit Dominus.**

ARCVM istum, Aquila in Nubibus, imò supra Nubes volitans, dum Apoc. 1. 20. Episcopos Angelos vocabat, inusitato aliis Bibliographis vocabulo, IRIN vocat, Apoc. 10. 1. dicens: *Et vidi alium Angelum fortem, descendentem de Cælo, amicum Nube: & IRIS in Capite eius; & facies eius erat ut Sol. Solem supra vidimus: IRIN porro videmus, in Oniade Nostro refulgentem. IRIS, ait Isidorus lib. 13. Orig. cap. 10. quasi Aëris, quod per Aërem in Terras descendat. Musarum aliqua subtilior, hanc Etymologiam corrigens, aliam inspicaba-*

tur, vel *Στο τῷ ἀγγελῷ*, quod est Nuntiare, quasi **NUNTIVM** divinum, vel *Στο τῷ ἀγγέλω*, quod est **PAX**, quasi **PACIFICVM**, interpretans. Divinæ Pacis **NUNTIVS** ad Homines à Deo missus erat ille **ANGELVS IRENÆVS**, Hieropolitarcham nostrum **ONIADEN**, in sua tum Nube, tum Iride, tum facie Solari, exactè adumbrans. Sol in Facie, tanquam vultu Animi præcipuo, Divinum **HIERARCHAM** **NVBES** in Corpore subiecto, Humanum Politarcham: Iris porro in Capite, Divino-Humanum, seu Humano-Divinum **HIEROPOLITARCHAM** figurat. Duo **IRIDIS** Cornua, duplicem in **HIEROPOLITARCHA** Potestatis Auctoritatem intendunt: Politarchicam sinistrum; dexterum Hierarchicam: Vtrique subtilis quædam Potestas Hieropolitarchica, ex duobus illis ordinate contexta, velut **CHORDA** in **ARCV** nervosa efficaciter subtrenditur, & laxatur, prout Causæ ratio, & Reipublicæ salus postulat.

Triplex **IRIDIS** Color, vel potius Lumen, hoc enim Iridi suus, quasi nativus est Color: triplicem **HIEROPOLITARCHÆ**; non coloratam, seu fucatam, sed ingenitam, & ingenuam, erga suos: & purgandos, & illuminandos, & cum Deo perfectè uniendo Energiam insinuat. Color ille triplex, alius Puniceus, alius Viridis, alius est Purpureus, ita contemperati, ut posterior priori subordinetur, instar Elementorum, à quibus per Nubes, virtute Solis abstractas, proveniunt: si quidem Purpureus Terræ; Viridis Aquæ; Puniceus Aëri convenit: omnes porrò à Lumine Solari, velut ignescentes, pulcherrimam ex omnibus Elementorum qualitatibus harmoniam conficiunt: eamque, non ut alia *φαινόμενα* in Aere, pro varia Nubium dispositione solent, aliam, & aliam; sed omnino eandem: quod sane admirandum, interim certum argumentum est, Iridem solius Dei semper, & ubique sibi constantis manu formari. Vnde noster Hagiotypographus, Eccl. 43. 12. velut admirabundus: *Vide, inquit, Arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo: gyravit Cælum in circuitu gloriæ suæ: Manus Excelsi aperuerunt illum.* Quanto speciosior ille quasi **ARCVATVS** **HIEROPOLITARCHA**! suis velut expansis, in Horizonte suo manibus, omnia sua complectens, ut, instar Nubium, attracta sursum per Iridis gratiam, & gloriam, Deo uniantur.

At non ex quavis Nube **IRIS** formatur. Nubes rorulenta, Nubes opaca, Nubes concava requiritur. Iris enim, seu Marutina, seu Vespertina; seu ad Meridiem, seu ad Septentrionem oriatur, quovis tempore, locove roscida, & in aquas resolvī parata est: quamvis Matutina, præsertim ad Meridiem, communiter aquosior; vespertina ad Septentrionem, non tam aquosa: ideoque Matutina ferè pluvias; Vespertina serenitatem annuntiet. Nubes opaca pro reflectendis, concava pro excipiendis Radiis solaribus exigitur. Illa reflexio licet ordinarie in tres tantum colores primarios terminetur; secundarios tamen complures habere potest, accinente Poeta:

*Mille trahens varios adverso Sole colores.*

Vnde **IRIS** apud Philosophos definiri solet: **ARCVS** **MVLTI** **COLOR** in Nube rorida, opaca, & concava, ex radiorum Solis oppositi reflexione, oculis inspectantium apparens.

**HIEROPOLITARCHIA** similes, ad Irin exprimendam, in suo Hieropolitarcha, formas, & figuras exigit. Solis indiget Virtute ad exhalationem, vaporumque suis Terris, & Aquis inutilium, colluviem, suo tum verbo; tum

EXEM<sup>a</sup>

Exemplo in altum elevandam. Facile quidem sic Nubes; difficulter autem IRI s ab Hieropolitarcha in Capite suo efficitur, nisi à Sole ipso figuretur eius concavitas, & opacitas formetur: Sol Charitatis, Misericordiarum humanarum Nubem suo Pacis, & Misericordiæ, sinu benignus excavat; suo Veritatis & Iustitiæ affectu severius opacat. Vnde Psal. 84. II. *Misericordia, & Veritas obviaverunt sibi: Iustitia, & Pax osculatae sunt: Veritas de Terra orta est: & Iustitia de Cælo prospexit: etenim Dominus dabit benignitatem: & Terra nostra dabit fructum suum. Iustitia autem ambulabit: & ponet in viagressus suos.* Hinc Psal. 144. 7. David Rex ad Christum, Hieropolitarcham suum, eiusque Vicarium ONIADEN: *Generatio, & Generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt: Magnificentiam Gloria sanctitatis tue loquentur: & mirabilia tua narrabunt: & virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt: & memoriam abundantie suavitatis tuae erubescunt: & Iustitia tua exultabunt. Misericors, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors. Suavis Dominus universis: & Misericors eius super omnia opera eius.* Recte Salomon Proverb. 20. 28. *MISERICORDIA, & VERITAS custodiunt Regem: & roboratur CLEMENTIA Thronus eius: Quod Patris sui Proverbium negligens Roboam.* 3. Reg. 12. 16. amissa Regni sui parte maxima, suum Thronum gravissimè luxavit. Quemadmodum Regii Fœderis initi cum regendis, ita Regiæ Iustitiæ, simul, & Misericordiæ, ipsis exhibendæ Symbolum exhibet ARCVS ille Noeticus, magis tamen in eodem lucet Misericordia, velut Charitatis filia primogenita, Nubes rosida Miseriis alienis tolerandis condolens, moderandis consudans, tollendis & collachrymans, & consanguinans: Nubes à Dei sanctissima Trinitate, tricolor: videlicet in Divina Fide, omnino cœlesti, Cœrulea: in Specie nunquam arescente, Viridis: in Charitate ignescente Purpurans, & Iridem consummans.


EN ARCV M, de quo Patriarcha Iacob, Gen. 48. 21. ad Ioseph filium suum *En ego morior: & erit Deus vobiscum: reducetq; vos ad Terram Patrum vestrorum: Do sibi partem: unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio, & ARCV meo.* Paraphrastes Chaldaicus ex Hebraico interpretatur: **quam tuli de manu Amorrhæi, oratione mea, & deprecatione mea.** Iustus & misericors HIEROPOLITARCHA Deum pro suis deprecans, & orans, velut ARCVS intensus, & intentus in Cœlum, ad expugnandam Iustitiam Dei, per Misericordiam. Archetypon huius ARCVS dabat Christus, pro suis etiam Inimicis, extendens manus in Cruce. Prototypon dederat Moyfes, Exod. 17. II. Manus item suas ita extendens, ut essent graves: Ab Aarone porro & Hur, utrinque sustentatæ usq; ad Occasum Solis, non lassarentur. Eiusdem ARCVS Ectypon Hori sui, & Horologi ONIADÆ HOROLOGIO inferebat Melpomene, Annum Exodi ab Ægypto designans, per hoc Elogium:

Iste OnIaDes aLter popVLI sVI Mofes,  
DVX ILLIVs per LoCa Deferta fIt,  
QVasI arCVs refVLgens Inter NebVLas  
gLorIæ.

**Q**VALIS in Terras furibundus olim  
 Rex Maris, farvū quatiens Tridentem  
 Concitabatur, subitis obundans

Fluctibus Orbem:

Quando Ventorum ferus Imperator  
 ÆOLVS, nuū Thetidos, furorum  
 quidquid inclusum rabidis tenebat,  
 Prodidit antris:



Quando Famolæ moderator Arcæ,  
 Orbis absorpti columen NOACHVS  
 Horridum sævas penetrans in vndas,  
 Æquor arabat.

Inde TRITONIS suabuccinantis  
 Arma NEPTVNO; superintonantis  
 Hinc IOVIS diros patiens, dolenti  
 Corde, Fragores.

TALIS, heu! atrox Paderæ tot annis,  
 Incubat MA VORS, velut atra N V B E S;  
 Vnde Sudori, Lacrymisque, mixtus  
 Sanguis invndat:

N V B I S obscuræ latitans in alvo  
 Turba stipabat furiata M ARTEM,  
 Sub Duce ALECTO, Duce sub MEGÆRA,  
 TISIPHONEQUE:

Fratris Armati subitos furores  
 Ira Bellonæ, simul ac Erinnyes  
 Impio ductu, stygioque rictu,  
 Exacuebat:

Huius ex N V B I S Genio Iuvenca  
 Isis, Ægypti Dea, servitutem  
 Israelitis miseram doloso

Neverat astu.

Sed malæ N V B I S Moderator HO R V S  
 Maximus, M A G N I generator HO R I  
 Nubis en, atræ faciem decora

IRIDE tollit.

ISIDIS Nubes variata Nubem  
 IRIDIS NOSTRO generavit HO R O:  
 Gaudeat tali P A D E R A N A tellus

IRIDE felix.

IRIS hæc siccas Aquilonis oras  
 Spondet Australi pluviâ rigandas:  
 Vnde P A X inter Boream, Notumque  
 FLORIDA surgat.

IRIS enim teste Plinio, lib. 12. cap. 24. & 17. cap. 15. admirabilem FLO-  
 RIBVS, HERBIS, PLANTISQUE suavitatem, & odorem aspirat: in primis au-  
 tem

tem, ut Laërtius docet: IRIDIS IMBER SALVBERRIMVS facit ROSAS redolere fragrantius: & nostro Hagiorypographo infallibili Autore, NOSTER ONIADES QVASI ARCVS REVLGENS INTER NEBVLAS GLORIE, prouè iam vidimus, en porro ex Aëre in Terram, per Imbrem odoriferum descendit, ut patet in contextu Eccl. 50. 8. per expressam coniunctionem,



**R**os Iridis, ex aërio Cœli tractu in Hortum sui Hori, & Horologi delapsus, inter alia ibidem consita FLORVM PRINCIPALIVM genera, in primis ROSAM irrorando sœtificat, mysticum parturientem ROSETVM, velut HOROLOGIVM quadratum, Horti universi dexterrimè contextum sepimentum, quam ROSEVM, tam SPINOSVM Politarchiæ Mundanæ SYMBOLVM: ut enim S. Ambr. in Hexa. suo philosophatur, ROSAM SPINA VESTIT, quasi expressum Humanæ vitæ simulacrum, ex amaris voluptatibus, & voluptuosis amaritudinibus, ita continuo perplexum, ut iam non alternis, quod esset fortè non nihil gaudii; sed alteris omnino sine alteris nullatenus potiri eveniat: imo sic Voluptate quavis potiundum sit, ut Amaritudo magis; quam Voluptas censeatur, nisi ab Hierarchia sua Voluptatem aliquam solidiorem participet: Illa scilicet Rosa, Florum omnium Regina delicatissima, tenerrimus Hortorum Oculus, purissimi Odoris Suavitas, Hominum gratiosissima Voluptas, omniumque Gratiarum Venustas eximia, quo præstantior est, hoc ipso fragilior, & flaccidior. Hinc non malè Plin. lib. 16, cap. 15. ut in rerum Natura, quæ spectatissimè florent, celerimè marcescunt, veluti Rosæ, Lilia, Violæ, &c. cum alia durent: ita & in Hominum vita, quæ florentissima sunt, citissimè in diversum vertuntur: nempe in Adversitatem Prosperitas: in Morbum Sanitas: in Debilitatem Robur: in Mortem Vita: in Odium Amor: Honor in Contemptum: Quamobrem prudentes in Chaldæa Reges, ut hanc Regiæ suæ Potestatis imbecillitatem ante oculos haberent, ROSAM Sceptro insculptam gestabant quæ sicut per Naturam suam frigidiorum Ebrietati resisteret, ita per suam imaginem, si quod eveniret è Regio Fastu, inebriationis, ac dementiae periculum, impeditet.

Huiusmodi etiam ab ipsis Roseris periculum, Sap. 2. 5. insinuat, dicentibus impiis: *Vmbra transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri; quoniam consignata est, & nemo revertitur. Venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt, & fruamur*

*Creatura, tanquam in Iuventute celeriter: vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos Flos temporis: coronemus nos Rosis, antequam marcescant.: nempe Rosarum Calyculis, & Baccis, nondum planè apertis: cum enim aperiri cœperunt, marcere incipiunt. Ecce impatientem in hoc Roseto versantium libidinem, cui Mora nimia, quæcunque Mora: dum suis Rosis, necdum maturis, inhiant: nec tam Fructum, quam Florem: nec tam Florem, qui desinat in Fructum, quam sui temporis FLOREM profugum, quasi Vmbra aduersam inaniter captantes prosequuntur, nec assequuntur: interim Solem a versum magis recedentē, magis relinquunt: prout ipsimet, at serius, consummata iam via vitæ huius, apud eundē Sap. cap. 5. 6. inter se conferentes inferunt: Ergo erravimus à via Veritatis: & Iustitia lumen non luxit nobis: & Sol intelligentia non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis. & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit Superbia? aut Divitiarum iactantia quid contulit nobis?*

Hæc in Spineto, iam non Roseto suo, Impii frustra interrogantes, frustra item sibi, non item aliis; in suo adhuc Roseto versantibus, respondent, non tam verbis Grammaticis, quam Symbolis Hieroglyphicis: quæ Oniadæ Nostro, ad suum Horologium, in ROSETO suo repræsentandū posteris, velut rite ordinatum, deserviant. Respondent igitur Sap. 5. 9. *Transferunt omnia illa tanquam VMBRA, & tanquam NVNTIVS percurrens: & tanquam NAVIS, quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius, cum præterierit, non est vestigium invenire, neq; semitam Carinæ illius in fluctibus: aut tanquam AVIS, quæ transvolat in Aëre: cuius nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aërem, commotis alis transvolavit: & post hoc nullum signum invenitur itineris illius: aut tanquam SAGITTA emissa in locum distantem, divisus Aër continuo in se reclusus est. & ignoratur transitus illius: Sic & nos nati continuo desivimus esse: & Virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus, &c. Quoniam spes impij tanquam LANIGO est, quæ à vento tollitur: & tanquam SPUMA gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam FUMVS, qui à vento diffusus est: & tanquam Memoria HOSPITIS unius diei prætereuntis. Novem sane illustria, & Hierarchis, & Politarchis INSIGNIA, dignissima, quæ in Hottensibus eorundem HOROLOGIIS exprimentur, velut Monumenta sui Oniadæ, qui quasi ARCUS resurgens inter Nebulas gloriæ: & quasi FLOS ROSARVM in diebus vernis ex illo ARCU derivatus proponitur.*

Verum enim vero à Rosis in Spinas delabimur: Quid Oniadæ cum spinis? Rosarum Flori; non Spinarum Aculeo, suum Hagiotypographus Oniaden comparat. Ita est: at ille ROSARVM FLOS, ex Iridis Rore progenitus, & suam extrinsecus in Folijs Rosaceis Politarchiam; intrinsecus autem in Floribus occultis, Hierarchiam: in utrisque simul totam Hieropolitarchiam comprehendens, absque Spinis haberi non potest. Afferunt quidem nonnulli cum Basil. & Ambr. in Hexa. SPINAS in Sratu peccati Originalis, nō in statu Innocentiæ, statim ab initio Mundi Rosis esse cōgenitas: probabilius tamen, & communior, imo & Rosarum talium Naturæ convenientior est contraria opinio, ita Spinæ Rosis, in quocunque Mundi statu concedens; ut pro statu Innocentiæ cautissimam exigat Prudentiam, sic presandi Rosas, ut ab earum Spinis homo Innocens nunquam læderetur. Hoc autem Innocentiæ statu iam perturbato, sicut ROSARVM exteriora folia potius; quàm interiores earundem Flores, passim vulgò presari solent: ita Vulgi Præsides, carnali, mundanaque Prudentia ducti, non tam Hierarchiæ Floribus; quàm Politarchiæ Folijs captandis inhiant: dumque Spinæ, ut appellare

appellare solent Hierarchicas declinare affectant, sua Folia Politarchica in Spinis converti persentiscunt. *Omnia* videlicet, *Gloria filia Regis*, Psalm. 44. 14. nimirum Ecclesiæ, Christo; eiusque Vicario Hieropolitarchæ nostro desponsatæ, *abintus*: licet aforis in *simbreis aureis circumamicta sit varietatibus*. Hinc & Cant. 4. 1. Archietropolitarcha, Sponsæ: *Quam pulchra es, Amica mea, quam pulchra es: Oculi tui columbarum*, absque eo quod **INTRINSECUS** latet.

Rosæ Pulcritudo, & Suavitas externa, suam à Flore intrinsecò Vim, & Virtutem participat: hoc sublato, externa Folia subito marcescunt. Id ipsum advertens noster Hagiotypographus, **ONIADEN** suum in Typo expressurus, ait: *Quasi FLOS ROSARVM, in diebus Veris*. **ROSARVM** Natura sic ex suis Qualitatibus primis, ut Philosophi loquuntur, temperata est, ut quod Humoris, ac Frigoris redundantis habet, id foras in folia propellat: quod Siccitatis, & Caloris, intra Florem contineat: unde suavissimum Odoris utrinque, tum ex flore, tum ex Folijs rosaceis temperamentum excitetur: scilicet ab Horo, per suum **ARCVM** roriferum, quasi rosiferum; in Horti sui Horologio excitatum. Peripateticus in Horto eodem, non tam Philolophus; quam Theologus, Apostolus, 2. Cor. 2. 14. quasi de Ostio sibi ad Evangelium Christi promovendum aperto, triumphabundus **DEO**, inquit, *Gratias: qui semper triumphat nos*, id est, triumphare facit, *in Christo Iesu: & ODOREM virtutis sua manifestat per nos, in omni loco: quia Christi bonus ODOR sumus Deo. in ijs qui salvi sunt; & in ijs, qui pereunt: alijs quidem odor Mortis in Mortem; alijs autem odor Vitæ in Vitam*: Sic & Bufones, ab Vvarum; Scarrabæi, ab Rosarum Odore intereunt. **Fama Bonorum improbi non ferentes**, inquit Theophilaëtus, **in sua improbitate, Invidia, odioque tabescunt, & pereunt**; sed probi **Fama proborum gaudentes, confirmantur, & ad vitam æternam proficiunt**.

**ROSA**; ut ab Odore, sic & Sapote: ut à Colore, sic & Vigore, tum in Cibus, tum in Medicinis, gratissimo, vivacissimo, efficacissimoque, singulariter commendatur: Aquâ **ROSA CEA**, ut oculorum dolores mitigat, ita eorum Aciem Visivam purificat, & illuminat. Vnde **ROSA** elegantissimum divinæ Sapientiæ purissimæ, odoratissimæ, sapidissimæ, Hominibus, à Deo per suum **HIEROPOLITARCHAM** communicandæ Hieroglyphicon: ut ipsa testis est Sapientia, per Hagiotypographum nostrum, Eccl. 39. 17. suos Israelitas, velut **ONIADÆ** Rosacei egregios fructus compellans, his verbis: *Obaudite me divini fructus: & quasi ROSA plantata super rivos, fructificat*. Asiaticam Interpretes hic Rosam, non Europæam, intelligi rectè suspicantur: illi enim idem Hagiotypographus Eccl. 24. 18. eandem Sapientiam comparat, ita loquentem: *Ego quasi plantatio, seu planta ROSÆ, in Iericho*, Rosa Ierichuntina, ut Saligniac. tom. 9. cap. 6. illam describit: prope fontem Iericho, (quem Elifæus 4. Reg. 2. 22. ex falso dulcem, ex sterili foecundum, Sale in eius aquas misso, reddidit) in spinosis Arboribus nascitur, valde odorifera, inter alios effectus varios, illum peculiarem habens, quod iam decerpta, imo sicca; & ari-

da, suum alias opertum calyculum, sub anniversariam Natalis Dominici Noctem aperiat, itaque Nativam sui formam speciosissimam, media Hymē, nocte intempesta, repræsentet. Notandum Hieropolitarchæ Symbolum, pro suis, præsertim Nocturnis, & Hybernis, adversis, inquam, & calamitosi temporibus, in Horologio Verno ita ordinandis, ut Politarchia, cæteroquin exarscens, quotidie Natalis Dominici memor, ab Hierarchia sua revirescat.

Mos Indorum est, ut Pier. in suis observat Hieroglyphicis: ad conciliandos Principum Animos, illis Rosas offerre. Musis Nostris indecorum videbatur. ONIADÆ suo in Hortum suum tam ROSACEVM deferre novas ROSAS: Vna Musarum Thalia, ut Nomine, sic Moribus viridior: Ego, inquit, ausim ONIADÆ nostro præsentare novam ROSAM: non illam Europæam, nec Asiaticam Jerichuntinam; sed Chinensem: non vulgarem, non spinosam: quoad Folia, Europææ non absimilem; quoad alia multum dissimilem: videres illam frondibus, magnitudine, formaq; pampinos imitantibus conveltitam, è Smaragdino dehiscens calycis conclavi, multiplice Foliorum Syrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, Lucis ipsius formosâ discrimina quotidie sic æmulantem, ut initio quidem candidam, deinde ex candida rubentem; postremo saturo colore purpuream, hoc est, simul aliam, simul eandem admireris: & quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad Florum Reginam, quæ tanquam Sol alter, variæ fucō Lucis diem coloret, colorum principes vicissim accedere tributarios. Hæc de sua ROSA Chinensi narrantem Thaliā, reliquæ Musæ admirantes, illam sui ONIADÆ Horto, & Horologio dignissimam arbitrabantur: præsertim quod spinis ac sentibus carere narraretur: essetque aptissimum insignis HIEROPOLITARCHÆ Symbolum: quo & Maiestas eius gloriosa, & gratiosa eiusdem in omnibus, tam Quies, quam Inquies, typicè adumbretur. Sed quia eiusmodi ROSARVM speciem nimis procul absentem Thalia verbo magis, quam re ipsa, præsentaverat, ne omnino nihil præsentasse videretur: memor illius, quod Isa. II. I. de Flore Christo dicitur: *Egredietur Virga de radice Iesse: & FLOS de radice eius ascendet*: sui Floris Rosacei memoriā ONIADÆ suo, ab inchoato Davidis Iessæi, velut Rosæ mirabiliter florescentis, Regno, designatum repræsentabat, hoc testimonio:

**IstIVs nostrI OnIaDæ VItVtes bonIoDorIs  
VnIVerso IpsIVs popVLo saLVtares,  
qVasI fLos rosarVM InDIebVs VernIs.**


Testimonium hoc suum Thalia confirmabat unanimes, & communi Melissarum Paderidum applausu, his versiculis expresso:

**Dum Regiæ volucres, Exercitus Hyblæi,  
Cautissimæ Sodales, Ducesque, Principesq;,  
Ex- In**

|                        |                        |
|------------------------|------------------------|
| In Orbe Paderano,      | Rorem sagaciori,       |
| Castissimæ Melissæ,    | Proboſcidis labello:   |
| Ad Paderana Tempe,     | Cōmunibus frementes    |
| Per Chloridem vocata:  | Admurmurāt ſufurris:   |
| Pro REGE nominando,    | Valete quotquot Hyblā  |
| Deliberant frequentes: | Vestitis, aut Hymettū: |
| Libantque puriorem,    | Valete, quotquot uſquā |
| Diverſa per vireta,    | Viretis, aut vigetis,  |
| Florum ſuaviorum       | Floresve, Floſculive:  |


Ro-

Nos



|                        |                                  |
|------------------------|----------------------------------|
| Nos unus hic ROSARVM   | Noſtrumque paſcet A <sup>a</sup> |
| FLOS allicit colore:   | (gmen,                           |
| Odore nos inefcat:     | ROSACEA medulla.                 |
| Nos detinet Sapore:    | Hic Alveare nobis,               |
| In hoc latet ROSETO    | Nepotibusque noſtris             |
| REX & MONARCHA noſter. | Cœleſte fabricabit.              |
| Hunc proſequamur: hic  |                                  |
| nos,                   | Dum                              |

Dum sic Melissæ Paderides HIEROPOLITARCHAM suam in ROSETO suo diversantem, observant, & HOROLOGIVM eiusdem ibidem formatum, intuentur curiosus: ecce tibi, easdem inde abstrahit per novam SCENAM ONIADES ille Typicus, paulo ante *Quasi FLOS ROSARVM in diebus vernis.* Antitypum suum repræsentans, mox:



**N**Empe, ex ROSETO suo ad suum LILIETVM suas Melissas curiosiores avocat noster HORVS, & HOROLOGVS, quasi ad novum HOROLOGIVM ipsis demonstrandum. Illic ROSARVM, hic LILIORVM diversa genera, diversis in Formis, & Figuris: in Odoribus item, & Coloribus diversis, iuxta rivulos aquarum germinantia spectare licet. Vt enim ROSARVM, ita LILIORVM temperamenta, quoniam sicciora, & calidiora sunt, aquas frigidiore appetunt. In ROSIS Hieropolitarchica Morum comitas; in LILIIS Verborum suavitas Maturitas, & matura Suavitas consideratur: pro diversis conversantium Linguis, & Moribus, diversi Coloris, Odoris, & Saporis. Admiranda certè uniformis Hieropolitarchæ tanta multiformitas: videlicet, in eadem ROSA, quidquid Rosarum; in eodem LILIO, quidquid Liliorum alicubi est, in. & ab eodem Hieropolitarcha debet inveniri, dum unus idemque suis Omnibus, & singulis, cum Apostolo I. Cor. 9. 22. *fit omnia, ut omnes salvos faciat.* ROSARVM, & LILIORVM alia in Hortis; alia in Campis, & Agris, nonnulla & in Sylvis, & in desertis Convallibus: Hæc autem quo minor, eo suavius olentia: eoque in speciem viliora, quo per naturam speciosiora: eaque tum alba, tum rubra, tum purpurea, tum cœrulea, singula. ut omnia, divinitus proveniunt; agrestia singulariter Matt. 6. 28. exhibentur consideranda, prout *Salomonis gloriam,* sua veste divinitus accepta superabant. Omnia suorum & Agrorum, & Hortorum, & Locorum desertorum Lilia, seu Ecclesiastica, seu Politica, Hieropolitarchæ, tanquam Horo, & Horologio, per suum Horologium, & consideranda, & accuranda sunt: illius quippe vicariam personam exhibet, qui Ose. 14. 5. ad suos Israëlitas aiebat: *Sanabo contritiones eorum: diligam eos spontaneæ. Ero quasi Ros: Israel germinabit sicut LILIVM.*

Hagiotypographus noster Hieropolitarchicam sui ONIADÆ Sapientiam, ita suos varijs calamitatibus oppressos alloquentē Eccl. 30. 19. inducit: *Florete Flores, quasi LILIVM, & date odorem: & frondete in gratiam.* Exemplo videlicet, ac influxu LILII REGII, sua diversorum generum Lilia germinantis, ut in terra sua REGNVM excitet omnino LILIAIVM, id est Floridum, & Fructuosum: Nam, ut ex communi Proverbio quidam accinebat:

REGIS ab influxu Regna vivere solent:

Regna vigere solent REGIS ab Eloquio :

REGIS ab Exemplo Regna perire solent.

Illud ONIADÆ suo Liliū in Regiū n. aliis omnibus quibuscunque in Regno suo Lilijs, velut efficacissimū Sceptrum, etiam nutu imperans: Horrorem suo, & Horologo, velut HOROLOGI popularis GNOMON accuratissimus: quo suavissimus inter Sponsū Christum, & Sponsam Ecclesiam, concentus, Cant. 2. insinuat: Sponso enim v. 1. Canenti: *Ego Flos campi: & LILIVM Convallium: sicut LILIVM inter spinas, sic AMICA mea inter filias.* Sponsa v. 16. accinebat: *Dilectus meus mihi, & ego illi: qui pascitur inter LILIA, donec aspires dies, & inclinentur umbra.* Sponsus quasi FLOS Campestris, & Agrarius: quasi vulgare LILIVM in desertis cōvallibus deprehendens AMICAM sibi desponsatam, inter Filias Alienigenas, velut LILIVM Agreste, Sylvestre, inter spinas suapte natura exortum, assimilatus eidem per omnia, excepto peccato, eandem ad Lilietum suum, quam efficaciter, tam suaviter invitat. Sponsa diligentem Sponsū vicissim diligere cogitans, varios illi ex variis LILIORVM suorum Hortensium, Agrestium, & Sylvestrium generibus instructos, desert Calathos, eiusmodi programmate inscriptos: *Dilectus meus mihi, & ego illi: qui pascitur inter LILIA.* Sponsus hoc Liliaceum dilectæ Sponsæ apophoretum sibi gratissimum acceptans, velut Pastor pascendus, & pascens inter LILIA, toto die ad vesperam: usque dum suos Greges LILIACEOS, Bonus Pastor, & ipse Liliū factus, ex Hortis, Agris, & Sylvis Gregariis, in Horti sui Regii Areolas deducat.

LILIVM illud Regium personam SPONSI, & PASTORIS LILIACEI adumbrans, (esto suis Liliis: Agreste in Agro, Sylvestre in Sylva, Hortense in Horto appareat) ubique suum velut HORVS gratiofus in suo LILIETO excitans Horologium; proprie tamen ad HORTVM Regium pertinet: quo & ipse Sponsus Pastoritius Sponsam suam, cum suis Liliis, transferre cogitat. Vnde Cant. 4. 12. Sponsus ad Sponsam: *HORTVS conclusus Soror mea Sponsa, HORTVS conclusus, Fons signatus. Emissiones tuæ, quasi Fons Hortorum: Puteus aquatum viventium, que fluunt impetu de Libano Surge AQVILO: & veni AVSTER: perfla Hortum meum, & fluant aromata illius.* Venit Auster; surrexit Aquilo: perflavit Campos, & Agros: Sylvas, & Hortos Padifontanos: fluxerunt hactenus, fluunt etiamnum, fluent porro, & copiosius fluent illius AROMATA: Concinetur ad Padifontes illud Sponsæ, Cant. 5. 1. *Veniat Dilectus meus in HORTVM suum, & comedat fructum pomorum suorum,* & illud Sponsi ibidem subiunctum: *Veni in HORTVM meum, Soror mea Sponsa, messui Myrrham meam, cum Aromatibus meis.* Experitur id Sponsa v. 13. dicens: *Genæ illius sicut arcola aromatum, consistit à Fignentariis. Labia eius LILIA distillant: sicut Myrrham primam.* Vox illa Sponsi, & Facies tam suavis trahit Sponsam post dilectum suum, descendentem in Hortum suum: ipsa enim v. 17 à Filiabus Ierusalem rogata: *Quo abiit Dilectus tuus, o pulcherrima Mulierum? Quo declinavit Dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* Respondet Cant. 6. 1. *Dilectus meus descendit in Hortum suum, ad areolam Aromatum, ut pascatur in Hortis, & LILIA colligat. Ego dilecto meo, & Dilectus meus mihi, qui pascitur inter LILIA* Sic nempe Dilectæ Dilecto; Dilectus Dilectæ, sua LILIA colligit, ut pascatur, & pascat uterq; inter LILIA.

S. Bernardus in hoc suo LILIETO bene pascus, & bonus Pastor, Sermo 71. in Cant. de hisce Liliis agens exactius: *ABSQVE LILIIS, inquit, NVNQVAM EST, QVI ABSQVE VITIIS SEMPER EST.* Opustuum, Studium tuum,

Desiderium tuum Lilia esse, protestentur **Moralis quidam Rerum** tuarum **CANDOR, & ODOR**: habent **Mores Colores** suos, habent & **Odores**: Odorem in **FAMA**; Colorem in **CONSCIENTIA**. Colorem operi tuo dat cordis **Intentio, & Conscientiæ Iudicium**. Quod ergo de Corde puro, & Conscientia bona egreditur, candidum **Virtutis opus est**: si autem & bona **Fama** secuta fuerit, & **LILIVM** est, cui nec **Candor LILII** desit, nec **Odor**. Iustus **Lilium** est in se **Candidum**; sed **Proximo odoratum**: **Proximo enim FAMAM**; nobis debemus, & providemus **CONSCIENTIAM**. En **ONIADEN IVSVM** ab insigni **Horo, & Horologo**, in **Horologio suo LILIAE** delinatum: cui præclarum **GNOMONEM** statuebat vigilantissimus ille **Nyssenorum Episcopus S. Gregorius**, de natura **Liliorum** erecta, **Serm. 7. in Cant.** sic differens: **POST QUAM HERBA LILII** magna ex parte in rectum, à radice, **Arundinis instar**, excurrerit, **Florem** edit ex vertice, intercedente non modico intervallo, tantum à terra distans, quantum, ut opinor, satis sit ad hoc, ut maneat pura in sublimi **PULCRITUDO**, non inquinata **mistione cum Terra**. Sub eiusmodi **GNOMONE** pulcherrimum, & ab omni terrena contagione purissimum formatur **Horologium ab Horo, & Horologo**: quibus rectè conveniat illud ad **Philippens. 3. 20. Nostra conversatio in calis**, videlicet in **LILIO** sursum tendente, figurata.


Sed forte quis dubitet, candidumne potius, an rubrum, an purpureum, an cæruleum, sit hoc **Lilii** genus, de quo hic agitur. **Sponsa** curiosius interroganti, subtilius respondet, **Cant. 5. 10.** dicens: *Dilectus meus Candidus & Rubicundus*. Per **LILIA** igitur & **Candida, & Rubicunda** intelligitur: nec id obstat, quin etiam per **Cærulea, vel Purpurea** intelligatur: nam & **Cæruleum, & Purpureum**, ex **Rubro, Candido**que non nihil participat: **Omnes hi Colores**, prout **LILIIS** conveniunt, peculiarem sibi eminentiam in **Sponso, & Sponsa** requirunt: **Cæruleus, Cœlestem Prudentiam Hierarchicam; Politarchicam iustitiam terrestrem RVBICUNDVS; PURPUREVS** Regiam Herois **Fortitudinem; Angelicam Hominis Temperantiam Color Liliorum CANDIDVS** repræsentat. Vnde suavissima inter **Sponsam & Sponsum** familiaritas coorta, in quoddam spirituale **MATRIMONIUM**, Arrhabone triplici, nempe **Fidei, Spei, & Charitatis Divinæ ANNULO** firmatum definit: ex quo suscepta **Proles Divina** sæcundet in terris **Militantem, & in Cœlis Triumphantem Ecclesiam**. Huius in, & ab **Ecclesia Christiana** sperandæ **Fœcunditatis Christianæ Symbola** in **Epithalamio Salomonis Hieroglyphica, sunt LILIA**, per **Naturam** suam, fœcundissima. Hinc **Epithalamicus ille Psalmus 44. inscribitur: PRO LILIIS**: ut **S. Hieron.** ex **hebræo** vertit: **Septuaginta** verterunt: **PRO IIS QUI COMMVTABVNTVR**. Vtraque interpretatio satis conveniens: nam & **LILIA**, prout hoc spirituale **Matrimonium**, eiusque fructum adumbrant, insigniter **COMMVTATA** sunt, & **indies COMMVTANTVR**: & ut **Padifontanis** nova **LILIA** sperare iubent, magis, & magis influxu, exemploque **LILII** sui **Regii COMMVTABVNTVR**. **Omen** hoc **Euterpe** faustissima **Populi** sui **Paderani Delectatrix, Oniadæ** suo **Hieropolitarchæ Romano, scilicet in Paderbornensi Ecclesia Romano-Catholica, sub INNOCENTIO X. Hierarchæ; sub FERDINANDO III. Politarchæ, ab Urbe**

Urbe Roma condita, per suos annos, hucusque numerandos, demonstratū  
exhibebat, hoc Epithalamio:

De CorI habItVs, & Mores honestI OnIaDæ  
ILLIVs rItē fVLgent:  
qVasI LILIA, qVæ fVnt In transItV aqVæ.

Huic Epithalamio suo, Euterpe iucundior, suos non tam versus, quam  
versiculos. Epithalamios in hunc Modum adiciebat.

|                        |                       |
|------------------------|-----------------------|
| Huc, Nymphæ Pade-      | Conferant Arethusæ:   |
| ranæ,                  | Huc sese Dryas omnis, |
| Huc adeste Napææ:      | Huc se Hamadryas una- |
| Huc se Naiades, huc se | Quæq; dirigit: omnes  |
| Con-                   | Huc                   |



|                        |                       |
|------------------------|-----------------------|
| Huc Oreades: huc &     | Vestros agglomerate;  |
| Vos Fauni, Satyrique,  | Sylvanus titubantem   |
| Quotquot estis, amico; | Silenum comitetur:    |
| Sed casto pede, saltus | Pan deducat utrumque. |
| Vestros                | L <sub>2</sub>        |
|                        | Huc                   |

Huc adsint Geniorum, Spondent LILIA Spon-  
 Floræ quotquot odoris sum.  
 Cōmorantur in hortis: En Mores, habitusque,  
 ALMÆ quotquot amœ- Tanquam Regia nostri  
 nas, Fulgent LILIA SPONSI:  
 LVPIÆque sonoras, Ad Fontis Paderani  
 Et quotquot PADERANAS Vndas prætereintes,  
 Hospitantur ad undas: Ist hæc LILIA fulgent,  
 Omnium Zephyritis hunc spondentia Spon-  
 LILIACEA DUX sit, sum:  
 LILIACEA ducens Sponsionis opimam,  
 Gratis Agmina Sertis. Ist hæc LILIA Sponsi  
 Grata quisq; sibimet, Præsentantur in Arrhã,  
 Non ingrata suomet, qua se LILIA Sponsæ,  
 HORO LILIA portet. Sponsi Regis in hortū,  
 Hic Sylvestribus; ille, Ad Sponsalia duci  
 Si Campestria desint, Consummanda, refle-  
 Sese Agrestibus ornet: ctant:  
 Sin Hortensia præsto, Vt Sylvestria quondã,  
 Sic Agrestia cedant, Post Agrestia, sensim  
 Ne confusa recedant. Et Campestria, tandem  
 QUÆVIS LILIA nostro Sponsi Coniugis Vnda  
 Sunt gratissima SPONSO. Regali, decorentur:  
 quem dedit ROSA Re- Sic regalia Regi  
 gem, regalem Vbere utroq;,  
 Hunc Fulgentia nobis Sponsi regis in horto,  
 Spon- Germinantia Fructum.

Sponsalem hunc, Regalemque Fructum Horus & Horologus Noster  
 Oniades in suo VERIS Horologio adumbratum, deinceps in  
 HOROLOGIO ÆSTIVO pergit adumbrare,

## Quasi Thus redolens in diebus Æstatis.



Ponsus Cant. 4. i. suæ Sponsæ fortam, cum admiratione intuitus, & observatis v. 5. duobus eiusdem VBERIBVS; Quasi duobus Hinnulis Caprea gemellis, qui pascuntur in LILIIS, donet aspiciat aies, & inclinarentur umbra. Vadam, inquit v. 6. ad Montem Myrrhae. & ad Collem THVRIS: mox perges admirari, & dilaudare Sponsam, inter alia v. 11. inserit hoc Encomium: *Odor vestimentorum tuorum, sicut Odor THVRIS.* IEROPOLITARCHA noster suæ iam Sponsæ copulatus, inter mysticas sui Ceporis Ecclesiastici partes accuratius inspectans, DVO quasi VBERA conspiciuntur, veluti duos unius Capreae Hinnulos gemellos, in suo LILIEO parte hactenus, deincepsq; pascendos, ex intuitu, & Odoratu, & Sapore LILIIUM suorum: quibus ipse, tanquam BONVS PASTOR, ut excellentiorem, tum Colorem, tum Odorem, & Saporem conciliet, vadit ad Montem MYRRHÆ, & ad Collem THVRIS. Duo illa Vbera, duorum instar Hinnulorum, a eandem Capream spectantium, & his Vberibus adhærentium, duo sunt Media, seu Instrumenta vivificandi, nutriendi, & propagandi Ecclesiam: videlicet Intellectio Veritatis, & Virtutis Dilectio: quibus in RATIONALI Pontificis, ad eiusdem pectus affigendo, Exod. 28. 30. velut Antistrpha respondent DOCTRINA, & VERITAS, ab ipso Capite in omnes Corpis universi partes quaquaversum derivanda. Huius porro derivationis hinc in Cerebro, & Corde nostri Oniadæ Hieropolitarchæ, tanto sui, partes in omnes, diffusior, quanto sublimior. Hinc iugiter illi procedendum, imo præcedendum ascendendo, in, & cum sua Ecclesia, per Montem MYRRHÆ, in Collem THVRIS: in hunc enim per illum, nec aliter, proceditur: teste Sponsa, quæ Ascendit Cant. 3. 6. *per desertum. sicut Virgula Fumi, ex Aromatibus MYRRHÆ, & THVRIS, & universi pulveris pigmenti ary.* Nempe Aroma THVRIS non, nisi post; imo per Aroma MYRRHÆ obtinetur: per MONTEM porro ad COLLEM, in Monte situm ascenditur: & sic à Fine suo Medium, quasi unicuique, sat insinuat. Hinc & Hagiotypographus noster fortassis hic eiusdem non meminerit, præsertim cum Odorem suum: Myrrhae Mons à Colle Thuris potissimum derivet. Vnde ab eodem Hagiotypographo Eccl. 24. 20. & 22. Myrrhae Thus coniunctum, inter Arbores odoriferas Divinam Sapientiam adumbrantes collocatur, his verbis: *Quasi Myrrha electa dedi suavitatem Odoris: & quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam.*

MYRRHA teste Plin. lib. 12. cap. 15. Arbor, seu potius Arbutum quoddam, altum quinque Cubitos, spinosum, caudice duro, & intorto, crassiore, quam Thuris: cortice levi, Olivæ folio; sed crispiori, & aculeato: bis per annum inciditur, ut resina defluat: interim priusquam incidatur, sponte su-

dar, quasi lacrymans: eaque Lacryma vocatur Staete, Myrrhæ fructus, eò præstantior, quo maturior. Generatim porrò MYRRHA Symbolum est hieroglyphicum Discretæ, ut Ascetici vocant, Mortificationis: qua scilicet Homo suos appetitus inordinatos prudenter moderatur: animique putredinem à vitijs, morali quodam voluntatis affectu impedit. Quemadmodum naturalem corporis Pitredinem à vermibus, Myrrha suo naturali effectu impedire solet: ita Humani appetitus moderatio in speciem rigidior; sed revera Homini secundum Naturam divinitus participatam convenientior, bellè adumbratu per asperiores illam Arboris Myrrhinæ figuram, quæ sub cortice tam hisido, & hirsuto, resinam adeo præstantem continet. Hinc & Arbor eadem Humanæ compunctionis, seu afflictionis, circa Dei offensam propriam vel alienam excitatæ, fit Symbolum: hæc enim Deo, sicut illa Hominibus, Odorem suavissimum exhalat, præsertim si à Colle THURIS conspiret: peculiaris namque inter hoc utrumque Arbustum, sicut est quoad exteriorem figuram horridulam similitudo; ita quoad suavissimam Energiam interiorem Sympathia, & Affinitas, HEROICORVM tam Effectuum, quam affectuum Excitatrix.

THVS igitur arbor, sicut Myrrha, tum per spontaneam intrinsecus exudationem; tum per alienam extrinsecus incisionem, sua profert Aromata: eaque insignita, quæ ab exudatione, quasi per virtutem nativam exacte maturata, ex Mediani Solis percussu, tanta suavitate proveniunt, ut inenarrabilem apud Plin. lib. 12. c. 14 universitatis odoriferæ halitum aspirare videantur: Hic, sicut Myrrhæ Lacryma spontanea pretiosior; ita nobilior Thuris non incisi Aroma indivisum, & integrum: quod velut sincerius, & purius, MASCULVM vocant; illud porrò sectum, & comminutum, prout fere communiter Europa nostra distrahitur, quia rerum diversarum quilibet permisceatur, impurius est, odoremque minus purum, nempe miscelaneum exhalat. Vna scilicet Arabia, eaque Sabæa, inter Mare Rubrum, & Sinum Persicum, Æthiopiæ contemina, ut in reliquis Aromatibus producendis, cum quavis alia Mundi plaga decertat, ita præ omnibus Mundi plagis, apud Plin. lib. 12. c. 12. in producendo Thure, sola triumphat. Verba illius hæc: THYRA, præter Arabiam, nullis: ac ne Arabiæ quidem universæ. Arabum Regio thurifera Sabæa appellatur, quod significare Græci mysterium, dicunt. At quodnam illud mysterium? nisi quod ita proprium Regioni Sabææ Thus existiment, ut ex Saba derivent suum illud  $\sigma\epsilon\lambda\alpha$ , id est, colo Deum, seu, Divinam alicui Maiestatem attribuo. Hinc & Incisores Thuris, idem Plin. Homines Divinos, & Sacros, & Sabæam Arabiam Sacram denominat, videlicet ab his Incisoribus, quorum trecentas ibidem Familias, lus illud quasi hæreditarium, sibi vendicasse commemorat: ita ut in unaquaque nonnulli, ad id officium deputarentur, qui ab omni congressu femineo alieni, tanquã Homines omnino Spirituales, carne tamen admirabile quoddam Religioso Thuri martyrium exhibentes, non minus Thuris, quam Religionis pretium adaugerent: quando quidem suum Thus, uni Deo genitum, sua vivendi ratione Divina protestarentur. Hinc Reges Arabum & Saba, teste Davide, Psal. 71. 10. inter alia dona, suum quoque Thus adducturi prædicuntur: & Regina Saba 2. Par. 9. 10. inter Aromata multa nimis Regi Salomoni delata

delata, suum item THVS attulerit: *Nec enim*, ut Scriptura loquitur, *suavus Aromata talia, ut hæc quæ dedit Regina Saba Salomoni. Et Matt. 2. u. Magi Sabæi aperis thesauris suis, vero Salomoni, Regi, Deo, & Homini, aurum, Thus, & Myrrham obtulerunt, Scilicet Myrrham Homini; Aurum Regi; Deo Thus: & hoc iuxta Gentis morem: Sabæi enim, ut Plin. lib. 12. cap. 19. refert, Sabin Deum habebant, cuius Sacerdotes, universi THVRIS annuatim collecti, antequam vulgo Mercis instar distraheretur, partes decimas à Populo, in mēsurā certa deferendas colligebant, nomine Populi, suo Deo, suis tēporibus offerendas.*

Mystica sunt hæc Sabæorum, à quibus deinceps ad Gentes alias derivata sunt, Divinis plena Mysteriis, Solennia, forte Sabæis primum orta ex divina Lege Mosis, Populum suum ab Ægypto, per illas Regiones Thuriferas, in Terram sibi promissam traducentis: Frequens enim per Mosaicam Legem fit mentio THVRIS, velut ad legitimè sacrificandum necessarij: quod quia Terræ promissæ non erat nativum, illuc ex Saba deferri copiosè oportebat. Sed: *Pt quid mihi, ait Deus ad Israëlitas, Ierem. 6. 20. THVS de Saba afferis, & calamum suave olentem de Terra longinqua? Holocautomata vestra non sunt accepta: & Vitima vestra non placuerunt mihi. Propterea hæc dixit Dominus: Ecce ego dabo in Populum istum ruinas: & ruent in eū Patres & Filij simul: Vicinus & Proximus peribunt. Hæc dicit Dominus: Ecce Populus veniet de Terra AQVILONIS, & Gens magna consurget à sibus Terra, Sagittam, & scutum arripiet: crudelis est, & non miserebitur. Vox eius quasi Mare sonabit: & super equos ascendent, preparati quasi Vir ad prælium, adversum te, Filia Sion. Audivimus famam eius: dissolutæ sunt manus nostræ: Tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem. Nolite exire ad agros, & in via ne ambuletis: quoniam gladius inimici, pavor in circuitu, &c.* Sic Ieremias Populo suo Captivitatem Babylonicam intentans, ob scelerum scetorem, suo Thuris odori permixtum: quo Deus merito ad eorumdem vindictam concitatus, horrendū illud, per Nabuchodonosorē, tam Vrbi, quam Templo Hierosolymitano excidium intulit: cuius miseranda rudera, dolentibus oculis intuens Oniades ille typicus eadem paulatim amoliri conatus, pristini Decoris plurimum, tam Vrbi; quam Templo, & Patriæ toti reddebat indies: tanto maiore effectu, quanto maturiori affectu, ipse, tanquam Sol Meridianus divino zelo effervescentes, suam erga Deum Religionem, quasi Arborem THVRIS, intimè sibi unitam, quotidie magis, & magis excoquebat, per MYRRHÆ Montem, variis adversitatum dumetis obstructum, in collem THVRIS, eximia Dei Familiaritate assumptus, & factus inde universo Populo suo, *Quasi THVS redolens in diebus Æstatis.*

Noster Antitypus Oniades viam eandem, cum Typico, ingressus; at per semitam eo sublimiorem; quo perfectiorem, sub Lege Nova Christianæ vitæ statum profequitur, insignem tam Religionis; quā aliarum Virtutum, Odorem quaquaversum, ex Vrbe sua, diffundens, ad ipsos usque camporum, Agrorum, & Sylvarum tractus: in quibus, ut & Hortensia, & Campestria, & Agrestia, & Sylvestria LILIA, sibi Deoque suo, quem suis manibus gestabat, suavius adunaret, sicut LILIVM, ipsis Regium, in transitu Aquæ; Ita THVS redolens in diebus Æstatis, Odorem suum, liberali animo, elargitur. Asserebat non nemo, quàm breviter; tam argutè: Qui RVDOLPHO Imperium, ADOLPHO Principatum Imperii contulit. utriquè scilicet, ob liberalem affectum religiosæ Pietatis, erga suum Dominum, latentem sub Hostia Eucharistica: quam hic noster ONIADES, suis Anni temporibus, & Amburbalem,

lem, & Ambarvalem, suis gessit gestare Manibus: Exemploque raro, iisdem prope singulos in dies, eandem immolare: superans in hoc, multis partibus, Typicum illum Oniaden, qui semel tantum quotannis, *Immolata Expiationis Hostia Typica*, Levit. 16. 12. *introibat Sanduarium, assumpto Thuribulo, & Thymiamate, ut positus super ignem Aromatibus, Nebula eorum, & vapor operiret Oraculum: ubi PONTIFEX ille Typicus, velut Mediator inter suos, Deumque, in Oraculo adumbratum, positus videbatur QVASI STELLA MATVINA IN MEDIO NEBVLE: QVASI ARCVS REFVLGENS INTER NEBVLAS GLORIE. At Hac umbra erant futurorum, inquit Apostolus ad Coloss. 2. 17. Corpus autem Christi. Vmbra enim habens Lex futurorum Bonorum, ad Hebr. 10. 1. Non ipsam Imaginem rerum, accedentes perse Ætos facere non poterat. Nunc eversis cum sua Hierosolyma Vmbris Typicis, ut Antitypum ipsis verum Christi CORPVS; ita & Antitypos eiusdem Corporis veros ADMINISTRATORES habemus, videlicet Hieropolitarchas, inter quos ille noster Antitypus ONIADES: cui suæ Inaugurationis memoriam nostra Terpsichore, à destructa per Aquilonarem Nabuchodonosorem Hierosolyma, sic exprimebat:*

NegotiosVS ILLE noster OnIaDes,  
à DIVInI zeLI operibVS exæstVans:  
qVasI thVS reDoLens In DiebVS æstatIs.

Chorum Terpsichore suo minus dignum Elogio; sed Thuri suave-olenti conformiorem eligebat Glyconiū, ab ipsa verbis; à reliquo Musarum Choro plausibus accommodatis, exprimendum:

**V**T quid, mollis Arabs, tuum  
Pinguem THVRIS Odoribus,  
Iactas Metropolim Sabam?  
En Panchaia Thureis  
Nunc illustrat honoribus  
Germanum Paderæ solum.  
En HEROVS Arabs, PIVS  
MYSTES, THVRIS & Artifex,  
Et mirabilis Institor,  
Thuris Germina procreans  
In terris bene olentia,  
In coelis redolentia:

In Cœlo, & Paderæ Solo,  
 Fructum parturientia.  
 En MITRATVS Arabs, novi  
 THVRIS Venditor, Ipse THVS  
 Ipsum: quod parili suis,  
 Externisque quibuslibet,  
 Divendit pretio: Nihil,  
 Vnam præter ADOREAM  
 Divinam, pretii volens:



THVS hoc perpetuus sibi  
 Æstivos Hyperionis  
 Ardētis radios, MERO  
 Per Noctem fruitur DIE:  
 SOL à THVRIS odoribus;  
 THVS à SOLIS Amoribus,  
 Omni tempore pascitur.

M


Sic

Sic dum SOL Hic inæstuat,  
 THVS hoc æstuat: in super  
 Mox exæstuat: in Deum,  
 Ac ipsius Imaginem,  
 Prodens Solis amabiles,  
 Mixtos unguine MYRRHINO,  
 Per vim THVRIS, anhelitus,  
 Quales ONIADEN decent:  
 Cui Tractus PADERÆ, cui  
 Partes Finitimæ, cui  
 SOL qua surgit, & occidit,  
 Cui accensa MERIDIES,  
 Cui SEPTENTRIO frigidus,  
 Acceptos referat suos  
 THVRIS, quos PADERÆ SOLVM  
 Aspiraverit Halitus:  
 Aspirate Favonii:  
 Conspiret Boreæ Notus:  
 Euro sit Comes Africus:  
 Vulturnum Zephyrus iuuet:  
 Conspiretur ab omnibus  
 Cœli Spiritibus Novo  
 Huic THVRI famulantibus,  
 Aurigante Diespitre,  
 Conformante Paraclito  
 Tot Spiramina Spiritu.

Sic Terpsichore: applaudentibus reliquis Musis; unam illarum timidiuscule applaudentem, quod vereretur, ne quid ex illo VENTORVM, & SPIRITIVM inter se conflictu Oniadæ nostro periculi eveniret, subarguebat ERATO, asserens, huiusmodi conflictum ordinari ad IGNEM ex Arbusto THV-

REO,

REO, si non eliciendum, saltem ampliandum: qualem Hagiortypographus inter Oniadæ Symbola expressisse videatur, aiens, quod extiterit,



## Quasi Ignis effulgens.

**Q**uebre apud Israelitas Elementum IGNIS, Maieſtatem ipſis Divinam repræſentabat: unde Paulus ad Hebr. 12. 28. Iſræ-  
litarum mobili Regno Chriſti Regnum immobile ſubſti-  
tuens ita concludit: Itaq; Regnum immobile ſuſcipientes habemus grati-  
am, per quam ſerviamus placentes Deo, cum metu, & reverentia: Etenim Deus  
noſter IGNIS conſumens eſt. Hinc & aliarum Gentium Regibus,  
præſertim apud Perſas, Æthiopes, Chaldæos, & Aſyrios, quaſi Diis, au-  
toritatem Divinam repræſentantibus, Lampades, aut Faces prælucebant: ori-  
ginæ talis Conſuetudinis accepta, procul dubio, ab Iſraelitis, Deum tuum  
velut Ignem reverentibus, quod eundem in ſpecie Ignis apparentem ſæpius  
expertu fuiſſent: nimirum Exodi 3. 2. liberare cogitans populum tuum à  
ſervitute Pharaonis, Apparuit Moysi Dominus in Flammâ IGNIS de montibus Rubi: Item:  
Exod. 13. 21. Dominus præcedebat Hebræos ad eſcendendam illis Viam per noctem in Columna  
IGNIS. Item Exodi 24. 17. Erat ſpecies Gloria Domini, quaſi IGNIS ardens, ſuper verticem  
montis Horeb in conſpectu Filiorum Iſrael. Vnde Moyses Populi ſui Dux brevi mori-  
turus memoriam huius Ignis eidem accuratè inculcans, Deut. 4. 12. inquit:  
Locutus eſt Dominus ad vos de medio IGNIS. Et, v. 22. Ecce morior in hac humo: non tranſibo  
Iordanem: vos tranſibitis, & poſidebitis terram egregiam. Cavene quando obliſcariſis pacti Do-  
mini Dei tui. quod pepigit tecum: Quia Dominus Deus tuus IGNIS conſumens eſt, Deus Æmulator.

Ad huius IGNIS Memoriam deinceps conſervandam præcipiebatur  
Levit. 6. 12. IGNIS in Altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubijciens ligna mane per ſin-  
gulos dies. & in poſito Holocauſto de ſuper adolebit adipis paſſificorum. IGNIS eſt ille perpetuus, qui  
nunquam deſiciet in altari. Hunc IGNEM primum ipſe Dominus in eodem Al-  
tari excitavit, inflammando primum Aaronis, Novelli Pontificis Holocau-  
ſtum: Apparuit enim Levit. 9. 23. Gloria Domini omni multitudini: & ecce egreſſus IGNIS  
à Domino devoravit Holocauſtum, & adipem, qui erant ſuper Altare. Porro Nadab, & Abiu,  
Filii Aaronis, Levit. 10. 1. Arreptis, ex incuria, Thuribus, IGNEM alienum, ſeu pro-  
fanum aliunde ſumptum, imponentes, obtulerunt eundem coram Domino: egreſſusq; IGNIS  
à Domino devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino: Dixitq; Moyses ad Aaron: Hoc ait Domi-  
nus: Sanctificabor in ijs, qui appropinquant mihi: & in conſpectu omnis Populi glorificabor.  
Inde moniti Sacerdotes, omni cura deinceps IGNEM antea Divinitus exci-  
tatum, pro Sacrificiis ordinariis legitimè offerendis ingiter conſervarunt,  
uſque ad instantem captivitatem Babyloniam: tunc enim, prout 2. Ma-  
chab. 1. 19. legitur: Sacerdotes IGNEM hunc Divinum ex Altari, & Templo  
ablatum, in puteo alto, & ſicco abſconderunt, & in eo conſutati ſunt eum: quem ſoluta  
captivitate

Captivitate Sacerdos Nehemias missus à Rege Persidis iussit requiri per Nepotes Sacerdotum illorū, qui absconderant, & non invenerunt **IGNEM**: sed aquam crassam: & iussit eos haurire, & asferre sibi: & Sacrificia, qua imposita erant, iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & qua erant superposita: utq; hoc factum est. & tempus adfuit, quo **SOL** resulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est **IGNIS** magnus, ita ut omnes mirarentur. Hoc igne postmodum Sacerdotes utebantur in secundo Templo Zorobabelis: instituto ad perpetuam huius rei memoriam, Festo **IGNIS** dati, quotannis celebrando. Miraculi fama delata in Persidem ad Regem Artaxerxem, seu Assverum, Estheræ Coniugem, per hoc mirifice ante conciliatum Religioni Iudaicæ: admirantem scilicet, quod **IGNIS** per annos 160, absconditus, & in Aquam crassam, & inde rursum in Ignem converti potuisset. Fortassis hinc ille singularis Honor Ignis apud Persas, qui teste Pierio Hierogl. lib. 46 **IGNEM** Sacrum, & Æternū, quasi Numen habebant: quod quocunque Rex cum Exercitu procederet, argenteis Altaribus impositum præferebatur. Similiter postea, ut Herodianus asserit, etiam Imperatoribus olim prælatus **IGNIS**, velut Symbolum Principatus, vel insignioris Vitæ, Doctrinæ, Felicitatis, Potentiæ, Gloriæ, qua Deus, Divique polleant in primis, velut Prototypi: deinde illorum velut Ægypti Reges, Principes, Iudices, alique in Republ. Illustres Homines.

Homo ex quatuor Elementis, vel potius Elementariis Qualitatibus, velut alimentis primariis coalescēs, nullum habet Animæ suæ, Divinæ Imagini Homjnns formatrici, conformius Elementum, quàm **IGNEM**: seu enim consideres Motum eius, quo super omnia reliqua sursum tendit: seu Temperamentum, quo & calidus, & liccus est, inter Elementa proximè Naturam Divinam consequitur. Homini unicuique, in primis autem **HIEROPOLIT. ARCHÆ**, Subditorum Archetypo, sic exprimendam, ut iisdem ab illo uniformiter difformiter, pro singulorum captu, singulariter imprimatur. **DEVS** Spiritus est simplicissimus, purissimus, lucidissimus, calidissimus, subtilissimus, efficacissimus: inter Elementa nullum Igne simplicius, purius, lucidius, calidius, subtilius, efficacius. Simplicitas Dei, omnem duplicitatem, multiplicitatem, Hypocrisim, fictionem, simulationem, averfatur: exterius talem se verbis, & operibus exhibet, qualem se interius habet: omnē astutiã, dolū, fraudem, omnemq; supervacaneã actionū multitudinem, ut illusoriã abominatur. *Prov. 3 32. Abominatio Domini est omnī illusor: Et cum simplicibus sermocinatio eius.* Per **SIMPLICITATEM**, **IGNIS** sese in figuram pyramidalem sursum colligit. Eodem collimat eiusdem **IGNIS** **PVRITAS**, eo scilicet purioris, quo sublimius contendens, purissimum Deum, per igniti cordis puritatem attingere intendit. **CORDIS** **PVRITAS** apud Doctorem Angelicum 2. 2. qu. 7. artic. 2. est omnium cogitationum, affectionum, sermonum, operumque Munditia: de qua Fons ipse puritatis *Matt. 5. 9. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Immunditia ex rerum viliorum & pretiosiorum inter se commistione oritur: Munditia illarum separationem exigit: qualem Deus tempore Captivitatis Babylonicæ in Populo Israelitico requirens ait, *Ieremiæ 15. 19. Si separaveris pretiosum à vili. quasi Os meum eris.* Ad eiusmodi separationem ritè instituendam, sicut Intellectus Lumen Sapientiæ; ita Voluntas ardorē Charitatis Divinæ, sibi à divino Spiritu, velut Igne lucidissimo, & ardentissimo, cōmunicatum desiderat. Vtrūq; Spiritus Divinus post Capti-

Captivitatem Babylonicam, à Cyro Persarum Rege solutam, liberaliter communicandum promittebat Malach. 3. 1. dicens: *Ecce ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam, &c. Ipse quasi IGNIS conflagrans, &c. Et sedebit conflagrans, & emundans Argentum. & purgabit filios Levi: & colabit eos quasi Aurum, & quasi Argenti-um: & erunt Domina offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut Dies seculi: & sicut Anni antiqui.*

Hæc sub antiqua Lege, quasi per umbram, adimpleri cœperunt à Iosue, ab Esdra, Nehemia, & aliis nonnullis Iudæorum ex Captivitate liberatorum Ducibus, ac Principibus, in primis porro ab ONIADE Hieropolitarcha nostro: sed quoad rem ipsam, primum sub Nova Lege, à Christo adimpleta sunt: qui de Ioanne Baptista loquens Matt. 11. 10. *Hic est, inquit, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Hunc enim Deus Pater ut internuntium ad Iudæos missurus erat, qui denuntiaret ipsis adventare sui Testamenti, bempè in Testamento veteri, promissum Angelum: quem Septuag. Isa. 9. 6 Magni Consilij Angelum nominant; qui Luc. 12. 49 dicebat: Ignem veni mittere in Terram, & quid volo, nisi ut accendantur? Quod suo testimonio affirmans Ioannes Baptista, Ioan 5. 35 *Lucerna ardens, & lucens: videlicet ab hoc Igne, accensa, illi palam, & apertè Matt. 3. 11. acclamabat: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & IGNE. hoc est, Divino Spiritu, Apostolis per speciem Ignis Act. 2. 3. liberaliter communicato, eorumque, tum Discipulis; tum verò maximè Successoribus Hierarchis, communicando, ut hi exemplo Christi sui Archierarchæ, sint velut missi à Deo ANGELI: præparantes viam eius, ante faciem eius. Igne Spiritus sui; suum & Aurum, & Argentum, Clerum scilicet, Populumque suum assiduissimè conflagrans, & colans: ut utrumque ab omni scoria emundent IGNEAM ad hæc omnia consequenda SVBTILITATEM Intellectus; Voluntas EFFICACIAM requirit. Vtramque Psalmista Regius Psal. 118. 140. insinuat, his verbis Deum appellans: IGNITVM eloquium tuum vehementer: & servus tuus dilexit illud. Ex hebræo LGNITVM, etiam CONFLATVM seu IGNE PURGATVM, aut PROBATVM, verti potest, sicut Psal. 117. pluraliter dicuntur: *Eloquia Domini, eloquia casta, seu munda, velut Argentum Igne examinatum, probatum Terra, videlicet ab illa omnino separatum, purgatum septuplum, id est, fustum sapius, ac refustum, ideoque purissimum, ab Igne subtilissimo, qui omnem illi scæcem, ac scoriam, licet intimè commistam, extraxerit. Huiusmodi eloquiorum Custos, in primis Hierarcha, secundum illud Malach. 2. 7. Labia Sacerdotum custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius. quia Angelus Domini Exercituum est: Internuntius scilicet Divini Verbi, quam subtilis, ac efficax, tam subtilem, ac efficacem Internuntium exigentis, qui velut IGNIS quam simplex; tam purus: quam ardens; tam lucens: quam subtiliter; tam efficaciter, intus, & foris norit operari.***

Talem Operarium noster Hagiotypographus Eccl. 4. 8. 1. designat his verbis: *Et surrexit Elias Propheta quasi IGNIS, & verbum ipsius quasi FACULA ardebat.* Similiter ab eodem Oniades ille Typicus Eccl. 50. 9. exprimitur: *Quasi IGNIS effulgens, ut in Antitypo suo expressius refulgeat, velut IGNIS in Rubo ardente, non combusto; velut Populi sui Dux in Columna IGNIS: velut IGNIS ardens super verticem Montis Horeb, in conspectu Filiorum Israël, Gloriam Domini speciosam representans: velut IGNIS Divinus, in Altari suo alienum Ignem consumens: Ignem fatuum dissipans: Ignemque mutatum in crassam Aquam, in pristinum Ignem transmutans: velut IGNIS, cui*

David in spiritu exultans Psal. 103. I. accinebat: *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer: qui, (v. 4.) facis Angelos tuos spiritus, & Ministros tuos IGNEM urentem.* IGNIS urens in Rubo; eundem non exurens: in Columna ducens; non seducens: in Horeb illucens; non illudens, prout Verbi Naturā Divinā, in Carne Humana; sic & HIERARCHIAM in POLITARCHIA divinitus operantem appositè figurat: Horeb lugū eminent in Monte Sina, qui suum à Ruborum copia nomen hebraicum accepit, Politarchiam in Populo, velut in Rubeto, eminentem indicat; sed lugum, prout nominis Horeb, apud Hebræos, radix insinuat, desertum, & aridum: nisi commorans ibidem cum Mose, Hieropolitarcha efficaciter dicat illud Deuter. 32. 2. *Concresecat ut pluvia doctrina mea: fluat ut Ros eloquium meū: quasi Imber super herbam, & quasi stilla super gramina:* Igne Divino simul irradiante, ut inde Politarchia, velut Columna Nubis, per suam Hierarchiam ignita confurgat, excitans Cyrum novum: cui Deus, velut Christo suo, *Dexteram illius apprehendens, Isa. 45. 1.* dicat illud eiusdem, 44. 28. *Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis: Qui dico Ierusalem: Edificaberis: & Templo: Fundaberis.* Dictum Factum attestabatur. & Futurum augurabatur Erato, IGNITVM sui ONIADÆ in Deum AMOREM consignans Elogio, Imperii Persici Exordium, velut solvendæ Captivitatis Babylonicæ Auspiciū, per suos annos hucusque numeratos, designante, his verbis:

Iste nostrI OnIaDæ pVrIor asVrgens  
In DeVM affeCtVs,  
qVasI IgnIs effVLgens.

Suum hoc Elogium Oniadæ suo explicatum accinebat Vestalis Erato, Vulcani Adversaria, suis hunc Versibus territorio Paderano eliminans, Ignemque Vestæ Sacrum introducens, ad hunc modum:


**V** VULCANE Ignipotens, degener Ignium  
Tractus aërios exuperantium,  
Ex Iunone vafri progenies Iovis,  
Obmixtā gravidi corporis Indolem,  
Deturbata Poli sedibus Igneis,  
Feces Mulciberis non tolerantibus:  
Vt sic Loripedum turpiter Agmini  
Temet confocians, putidioribus  
Deturpes liquidum gressibus Aëra:

Hinc

Hinc gressus remove: Iam fatis, & super  
 Grassatum ad Paderam: fat Facibus datum,  
 Et Sylvas, & Agros, & viridantia  
 Hortorumq;, Domorumq; repagula,  
 Et flavas Cereris Falcigeræ trabes,  
 Desertosq; Lares Arcium, & Urbium,  
 Flamma luctifona depopulantibus:  
 Iam Stragū fatis est, quas dedit Impetu  
 Trux Bellona tuo, Ferree Mulciber,  
 Armis foeta tuis: dum reboantibus  
 Late flammi vomo pulvere Machinis,  
 Scrutorumq; globorumq; sonantium,  
 Saxorumq;, petrarumq; tonantium,  
 Nimbos in Paderæ conicis alveum:  
 Sed iactum fatis est. I modo claudipes,  
 Cycloperum repetens antra sodalium:  
 Bronten, & Steropen, atq; Pyracmona,  
 Consortesque alios Æthnicolas, tui  
 Monstruosam Historiam Loripedis doce.  
 Discant, quā methodo vincula præparent  
 Mavorti, ac Veneri. Pallada Virginem  
 Frustra sollicitans, ecce VIRAGINEM  
 Istam PADERIDEM ducere non potes,  
 Quamvis Ignipotens. Ignis es halitu  
 Terreno gravidus: Fumifer Ignises,  
 Nidorem Stygium cominus, eminus  
 In Terras, in Aquas, in spurii Aeris  
 Oras, sulphureis rictibus evomens.

IGNEM Pallas amat virgineum, Plāgis  
 Cognatum Æthereis: quem sua PVRITAS,  
 Subtilique


Subtilique suum flammeolo tegens  
 Vultum, SIMPLICITAS: quem sua LVX mera,  
 LVX Ardens sibi, LVCENS aliis: sua  
 Quem, quò vult, penetrans Vis, & Orexis in  
 Æthra constituit, donec in Aethera  
 Conscensus pateat: quo sibi Coniugem  
 Ignem Ignis stabili Connubio DEVM,  
 Amplectatur Homo Perpetuarius.



IGNEM hunc ONIADES noster ab Aethere  
 Tractum offert Paderæ tractibus: ipse fit  
 IGNIS, Paderidum Nubila dissipans,  
 Dispellens tenebras, frigora diruens:  
 Et nunc Igniculos parturiens novos,  
 IGNES ut pariat consimiles, quibus  
 Orbis Padericus luceat, ardeat,  
 Consumatque, suo quidquid in aëre,

Vel terra, vel aqua pestiferum latet,  
 Quin & finitimis Orbibus inserat  
 Ignes progenitos, queis Patriæ Lues  
 Omnis dispareat: queis Patriæ Salus  
 Pax postliminio reddita floreat  
 Fructus Ætherei germina promovens:

Subtiles hos, & sublimes Amantis ERATVS AMORES, quibus puriorem  
 Oniadæ sui, velut Ignis effulgentis assurgentes in Deum Affectus exprime-  
 re conabatur, approbans Vrania: eisdem novo eorundem Symbolo per  
 Hagiotypographum expresso, affirmabat: quo scilicet Oniades ille Typi-  
 cus Antitypum suum adhuc in Æstivo diversantem Horologio, ab Hora  
 sui erga Deum Amoris, QVASI IGNIS EFFVLGENS, ad orationis, ex  
 Amore flagrantis, & fragrantis Horam deducit eidem  
 Prototypus,



HVS, & ut Arbutum, & ut Aroma, inodorum: nisi vel à Sole, vel  
 ab Igne acriter incalescat: eoque magis odorum, quo magis in-  
 caluit: hinc ARDENS IN IGNE omnino calidum, & sic maxime  
 odorum: præsertim Thus Masculum, ardentibus carbonibus im-  
 positum, ab Igne ardente, quamprimum inardescens, mox diffuens, vapo-  
 remque suum quaquaversum, in primis tamen sursum diffundens. Pulcer-  
 rimum nostri Oniadæ Hieropolitarchæ Symbolum: THVS ARDENS IN  
 IGNE, Politarchia ex Hierarchiâ fervens, & Politarchica Religio ab uni-  
 ra sibi Charitate Hierarchica exardescens: Odoremque tam Deo; quam  
 Hominibus gratissimum prognerans, Politarcha nisi Orationibus, aliisq;  
 piis ac Religiosis Hierarchæ propriis exercitationibus, absque fuce, & simu-  
 latione, prout MASCVLVM THVS candidissimum exigit, crebro excitatus in-  
 flammetur, suavem Deo, vel Hominibus bonorum, seu laudabilium o-  
 perum fragrantiam reddere non potest.

IGNIS ab Horo subtilius illum perspiciente duplex observatur: alte-  
 rum Semivir Vulcanus; alterum Pallas Virago repræsentat: Prout Erato  
 suis utriusque Modulis paulo ante subtiliter accinebat. Ignem Humanum,  
 Affectum, & Amorem Politarchicum, adumbrat species Vulcani Semiviri,

N

Homini

Hominis impotentis. monstrosè claudicantis, ex lapsu videlicet, quo cœlitus in Terram decidens ita pedem sibi dextrum, imo & sinistrum afflixit, ut perpetuo Scipione, quo assidue sustentetur, indigeat: Cœruleum tamen Pileum, sicut Regionis Æthereæ, ita Libertatis Humanæ Symbolum, quamvis ex hoc ipso lapsu per aërios tractus, eorumque impuriore halitus, & vapores non nihil infuscatum, retinuit: quo suum tam lapsum; quam lapsus terminum, & à Quo, & ad Quem sit delapsus, recordetur. Pileus ille suis adhuc ex VULCANI capite scintillantibus igniculis eundem à Libertino exilii, ad liberum Patriæ statum prenandum elevans in cœlum aspirare facit, & suspirare ad Nuptias cum Pallade Viragine Igneam Æthram purissimam inhabitante contrahendas. Ita Nuprurientem Vulcanum Semivirum Virago Pallas, conservandæ suæ Virginitatis ergo, semper averfatâ Hieropolitarchæ suo, velut Sponso dilectissimo, Ethicum in Poëtico simul, & Physico Mysterio Symbolum exhibet: quod sit insigne tam pro cœlesti erga Deum affectu conservando phylacterium; quam pro adversantibus illi terrenis affectibus repudiandis Amuletum. Is, quo in terris utimur, IGNIS terrestris, impuro Aëri commistus Vulcanus est, vane affectans Æthereæ Palladis Nuptias: dum conatu frustraneo sursum elevatus, ut Æthereo Igni copuletur, in via subito evanescit, repente in terrestrem fumum rediens, unde abierat. Ignis enim terrestris incensus: & Amor, seu Affectus terrenus, velut Ignis fumosus: cui opponitur cœlestis, & divinus Amor per Ignem Æthereum, quasi Palladis, nimirum Sapientiæ Divinæ thalamum adumbratus.

Igni duplici Thus item duplex, utrique suum, peculiare scilicet convenienter attribuitur, Ignis Palladius, quasi Vestalis, & Virgineus: Mafculum illud, candidissimum, lucidissimumque Thus: quale iuxta Legem Mosaicam, in Sacrificiis plerisque, si non omnibus, adhibebatur, velut Holocaustum, tantum quantum soli Deo adurendum, & comburendum: reliqua prope omnia, vsque ad Sal, quod Levit. 2. 13. in omni Sacrificio adhiberi debebat, si non populo, saltem Levitis, vel Sacerdotibus communicari poterant, vnum THVS uni Deo ab Igne consumendum reservabatur. THVS porro Sabæum, Thus mafculum, Thus legitimum: Thus candidissimum, & lucidissimum exigitur, genuinum Politarchiæ Symbolum, divinitus ordinatum: nec enim ulla ordinata potestas, nisi a Deo, cuius Sapientia, Prov. 8. 12. per sui Profopopœiam inducitur, sic loquens: *Ego Sapientia habito in Consilio. & eruditio intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam & superbiam, & viam pravam. & os bilingue detestor. Meum est Consilium, & Æquitas: mea est Prudentia, mea est Fortitudo. Per me Reges regnant, & Legum Conditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & Potentes decernunt iustitiam.* Prudenter hoc per se, suosque Arabici Regni Consilarios advertit, non Pseudopolitica Regina, de qua Rex Christus, velut Regis Salomonis Antitypus, Matt. 12. 42. *Regina Austri surget in Iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terra, audire Sapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic.* Reginæ huius Adyentū illum Regia Chronica 3. Reg. 10. I. describunt, & v. 10. inter alia Reginæ Sabææ mūnera, quibus Regē Salomonē conciliare sibi conabatur, peculiaris fit mentio Aromatum: *Nec enim allata sunt ultra, inquit Chronographus, Aromata tam multa, quam ea quæ dedit Regina Sabææ Regi Salomoni:* procul dubio in primis THVS, quod in Sacrificiis quotidianis Hierosolymæ

Hierosolymæ in Templo affatim consumendū, aliunde, quam à Sabæis haberi non posset. Noverat scilicet Politica Regina Hierarchicum Regis Salomonis affectum, qui, licet ipse Hierarcha non esset, Hierarchicis tamen aliorum officiis non minus, quam Politarchicis diligenter administrandis exactè intenderet. Vnde gratissimum, tali Regi, tale munus futurum prudenter ominabatur: nec ingratum se, aut illiberalem, tam liberali Regina Rex Salomon exhibuit: Aurum illa cum Gemmis, & Aromatibus copiosum, per suos Camelos, ex Saba in Ierusalem deportarat; sed finem Auri, Gemmarum, & Aromatum, in primis autem Sabæi Thuris usum legitimum, & sincerum veri Dei cultum, in mente sua reportavit. Simile quiddam illis Magis Hieropolitarchis Orientalibus Mart. 2. 11. suum Aurum, Thus, & Myrrham suo Archieropolitarchæ offerentibus accidit: nec absimile illi Oniadæ typico evenit à finitimis, & vicinis Principibus, Regibusq; propter insignem, tum sui Nominis, tum Numinis Divini Odorem, in ARDENTI THVRE adumbratum, ita honorato, ut Oniadæ Honor esset Honorantibus Odor, si vellent, maximè salutaris. Quidni! & Antitypo id ipsum eventurum augeremur? Quin imo aliquatenus evenisse attestemur? Sed eventus adhuc nobiliores ominamur, ubi THVS illud Sabæum, Paderanum inquam, finitimis Regionibus communicatum, suos ibi per suum Odorem fructus germinare öccepit.

Noster Oniades iam supra, cum Sponso Cant. 4. 6. ad Montem Myrrhæ, & ad Collem THVRIS evasit, quasi THVS REDOLENS IN DIEBUS ÆSTATIS, videlicet Arbustum Thureum, arbuta si nilia germinando parturiens; inde ad Hortum suæ Sponsæ invitatus, his verbis: Cant. 5. 1. *Veniat Dilectus meus in Hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Eandem vicissim ad se in Montem suum quasi Hortum sublimiorem invitans respondet: *Veni in Hortum meum, Soror mea, Sponsa: messui Myrrham meam, cum Aromatibus meis.* Vbi non iam Thus Arbor in diebus Æstatis tantum redoleat à Solis æstu diurno, sed Aromata, fructus Arboris, pro anni tempore quovis; etiam nocturno, ex ardentibus carbonibus redolitura, colligerentur ad offerendum in Altari utroque, tam Holocausti; quàm Thymiamatis, quotidianum Sacrificium, & consummandam oblationem quamcunque, Domino per Thuris Holocaustum adolendam. HOLOCAUSTI Altare Hominem Animalem Politarchicum; Altare Thymiamatis Hominem Spiritualem Hierarchicum, Deo per Thus Religionis ardens, in Amoris Igne sacrificat: & sic omnem Hieropolitarchæ operationem, quasi legitimam oblationem intentione purissima, velut ARDENTIS EX IGNE THVRIS in Deum elevatione, Principaliter sublimat. ALTARE THYMIAMATIS, ait Beda in cap. Exod. 30. significat perfectorum vitam: qui quasi in vicinia Oraculi sunt positi: quia desertis infimis delectationibus, de solo Regni cœlestis ingressu curam omnem impendunt. Vnde bene in hoc Altari non Carnes animalium; sed sola incendebantur Thymiamata, & cœlestium desideriorum Odoramenta; per Ignem interni Amoris, in conspectu sui CONDITORIS OFFERVNT. Ipsius Thymiamatis confectio Exodi 30. 34. sic Mosis à Deo præscribitur: *Sume tibi Aromata, Stactem, & Onycha, Galbanum boni odoris, & Thus lucidissimum: æqualis ponderis erunt omnia: faciesq; Thymiamata compositum opere Vnguentarij, mixtum diligenter & purum, & sanctificatione dignissimum: cumq; in tenuissimum pulverem universa contuleris, pones ex eo coram Tabernaculo*

*naculo Testimonij, in quo loco apparebo tibi. Sanctum Sanctorum erit vobis Thymiama. Talem compositionem non facietis in usu vestros, qui a sanctum est Domino. Homo quicumq; fecerit simile, ut odore illius perfruat, peribit de populo suis.* Tropologiam huius Thymiamatis indicat Achierarcha Gregor. lib. I. MOR. THYMIAMA, inquit, EX AROMATIBUS compositum facimus, cum in Altari boni operis Virtutum multiplicitate redolemus. In tenuissimum pulverem Aromata universa conterimus, cum bona nostra quasi in pilo cordis occulta discussione tundimus, & si veraciter bona sunt, subtiliter retractamus. Per Staeten, Myrrhæ lachrymam, animalis Hominis exspiratio: per Galbanum succum calidum, & pinguem, Charitas, & Misericordia: per Onycha instar Unguis humani candicantem, Nardi fruticis instar odorantem, Castitas: per Thus ex communi fere omnium Gentium instinctu, & consensu, Religio, ac Religionis ordinarium exercitium Oratio designatur, secundum illud Psalmi 140. 2. *Dirigatur Oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: DIRECTE* scilicet in Deum, rectaque iursum ascendens, cum Sponsa per desertum, Cant. 3. 6. *Sicut virgula fumi ex Aromatibus Myrrha & Thuria, ac universi pulveris pigmentarij.*

RELIGIO, sicut & ORATIO, Religionis comes inseparabilis, gradum, iuxta perfectiorem Viræ statum, in Hieropolitarcha sublimiorem postulat: nimirum Virtus inter Morales dignior, quæ statim, & immediate post Virtutes Theologicas, in conclave Divinum progressa, Deo suo, tanquam omnium Creatori, & Domino, cultum, ut ita dicam, FEVDATARIUM exhibeat IGNEM, THURE MIXTUM repræsentans in suo Thuribulo, nempe COR humile, contritum, & ardens, quod ignitis Fidei, Spei, Charitatis, aliarumque Virtutum aspirationibus, Religione Duce, Oratione Comite, Sacrificio patrocinate, in Dei statum assequendum legitime aspiret. Huiusmodi aspiratio ut legitima sit, non minus Ignem, quam Thus legitimum requirit. Aristoteles IGNIS Naturam in libris de Cælo, & Anima, subtilius considerans, in eodem Igne materiali, pro statu Materiæ diverso, Lumen, Flammam, & Prunam, sic distinguit: ut Ignis Æthereus in Lumine, Aërius in Flamma, Terrenus in Pruna denominetur: quorum Æthereus ille à sensibus humanis remotior, hinc & Hominibus ignotior sit, alioquin ex natura sua reliquis duobus & notior, & nobilior, ad quem duo reliqui, velut centrum aliquod sibi attingendum, semper hæcenus enitentes, ab obtinente materia sua impediti, pertingere non valeant. Hæc IGNIVM triformis Imago Philosophica, Theologicam nobis, trium scilicet Virtutum Theologicarum exhibet Ideam, sine qua THVS efficaciter ardens in suo Igne haberi non potest: in Lumine Fides, in Flamma Spes, Charitas in Pruna exhibetur: sed pro ardore Thuris, potissimum Charitatis Pruna requiritur, de qua Isaias loquebatur, cap. 6. 6. dicens: *Volavit ad me unus de Seraphim: & in manu eius Calculus, quem forcipe tulerat de Altari.*

Nec minor in Thure, quam Igne discernendo, adhibenda pro Sacrificio legitimo Sagacitas. Thus illud Sabæum in Europa genuinum vix habetur: & in Germanicis, præsertim Aquilonaribus Emporiis plerisque sic adulteratum est, ut in Religionis fœtorem potius, quam odorem passim exardescat: Ignisque sui Prunam in Carbonem; Flammam in Fumum; Lumen in Caliginem paulatim transfiguret. Infelix Populus, cui tale THVS ARDENS IN IGNE tali, à suo vel Hierarcha, vel Politarcha, vel Hieropolitarcha


cha in sempiternæ mortis odorem sacrilegè prostituitur. Felix ille typici Oniadæ Populus, cui secundum Legem Divinam Levit. 24. 6. *Mensa corâ Domino purissima constituebatur: in qua PROPOSITI erant ordine suo disponendi, omnibusque Sabbatis novi, recentes, calidique PANES DVODECIM*, quasi totidem Politicarum Tribuum Symbola, quibus à Levitica Tribu absumendis, lucidissimum THVS, velut Hierarchicæ tribus Symbolum, in suis cuique Pani destinatis acerris depositum superimponeretur, ab Igne pariter consumendum. At multo felicissimus ille Populus ONIADÆ Nostri quotidie illi repræsentantis in Holocausto suo illud: 1. Corinth. 10. 16. *CALIX benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & PANIS, què frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam unus Panis, unum Corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus: Quem scilicet ille Noster ONIADES ut Sollicitus, & Liberalis Paterfamilias suis ipse manibus, pro suis in dies prope singulos immolat, eique, pro eisdem intercedendo, paternum sui cordis affectum, quasi THVS ARDENS IN IGNE confociat.*

Moguntinus Archiepiscopus Rabanus explicans illud Hagiotypographi THVS ARDENS IN IGNE, Adversa per IGNEM figurari suspicatur. IN THVRE, inquit, ORATIO pura exprimitur: quia eius odor spargitur in claritate Fidei, & ardet in Amoris Igne: licet enim Thuris odor per se bene oleat, Igni tamen appositus, refolet fortius: sic & oratio pura, licet per se grata sit Deo; si tamen adhibito Igne passionum, in dilectione perseveraverit, coram oculis Dei magis grata redolebit. Eodè collineat Sponsus Cant. 4. 6. *Ascendens per Montem Myrrha in collem Thuris: ut ex utroque suum dilectam Sponsam Thymiana conficere doceat. Vtinam, aiebat una ex Musis, in Thure Historico magis, quam in Mystico versata, ONIADÆ nostro eveniat, quod Alexandro Magno evenisse Plinius lib. 12. c. 14. enarrat. Ille scilicet Alexander, cum adhuc Puer, absque parsimonia liberalissimè THVS Aris injicere soleret, ideoque moneretur à Pædagogo suo Leonide, ita LIBERALITER supplicare, postquam GENTES THVRIFERAS devicisset: moniti sui memor iam Vir, Arabiâ devictâ, monitori suo Leonidæ oneratam THVRE navim transmisit, adhortans, ut LIBERALITER porro Deos adoraret. Subridens ad Historiam istam Vrania: Noster, inquit, Oniades in Europa suam habet Arabiam, sua item Thuris, & Arbuta, & Aromata intus habet: unde a foris hæc inferri non desiderat, sed foras proferri affectat. Nec opus hic Navi aliqua: IPSE NAVARCHVS, & Navim, & Thus affatim repræsentat mente sagaci quaqua-versum, in primis autem sursum navigans, ut suis apud Deum orationibus, & Sacrificiis quotidianis, domi, forisq; divinam Gloriam LIBERALITER propaget. In conservandam huius LIBERALITATIS Memoriam ONIADÆ Nostro Alexandri Magni prædicta Liberalitas deserviat per hanc, inchoatâ Monarchiæ Alexandrinæ, sub hoc ab Vrania posito Elogio, r'esserulam.*

## Oniadæ sancta ex Corde a Censo effVLgensorat Io, q Vas I th Vs ar Dens In Igne.

Cui ne quid ab impuris Elementis impedimenti eveniat, quo minus velit INCENSVM DIRIGATUR IN CONSPECTV DOMINI, suam Vrania cum reliquis Musis, orationem, quasi pedisequam subiungebat ita verificatam.

**O**LVX Æthereo splendida Mundo,  
 LVX Magnæ Triados, LVX DEVS, Almæ  
 Naturæ Monadem fronte triformis  
 Personæ irradians: LVX Cherubinas  
 Illustrans acies: LVX Seraphinos  
 Accendens cuneos: LVX Geniorum,  
 Quotquot sidereus continet orbis,  
 Delectans animos: LVX Animarum  
 Humani Generis, quotquot in auras  
 Evadunt superas, mentibus indens  
 PRVNAS, Ingeniti Flaminis æstu  
 Maturo genitas: ex quibus ardens  
 Halet Flamma, Iubar purius Æthra:



**O** LVX vivifico germine lustrans  
 Illustransque, perurensque Cor ustum  
 FLAMMIS THYRICREMIS ; Entibi facta

supplex

Supplex VRANIE supplicat octo  
 MVSIS supplicibus confociata:  
 Si nos deficiat THVRIS IN IGNE  
 ARDENTIS facies, suppleat illam  
 Nostri supplicii SVMMA, SCOPVSQVE:  
 Hic est ONIADES noster, IN IGNE  
 THVS ARDENS: cui nos THVRIS Odorem,  
 Ardoremque suum perpetuari,  
 Ad veram PATRIÆ Prosperitatem,  
 Ardenti pariter voce rogamus.  
 THVS ARBOR vigeat, floreat, amplos  
 Fructus progeneret: quaque lubebit,  
 Radices jaciat: THVRIS AROMA  
 Incensum Faciem placet Olympi  
 Offensam Paderæ, conciliatam  
 Reddat munificam: reddat opimam,  
 Reddat frugiferam: reddat Amicam.

Ita comprecantibus, Duce Vrania, ONIADÆ suo Musis, una earundem  
 sollicitior, de ACERRIS, & THVRIBVLIS Aureis cogitabat: nec imprudenter:  
 Oniades enim ille Typicus in templo suo Hierosolymitano, ex Divina Le-  
 ge, suppellestilem Thuream non habebat, nisi Auream: in qua, Iosephus Hi-  
 storiam Templi magnificentiam describens, numerat Acerrarum, quibus  
 Holocauistica odoramenta in templo præsentabantur, viginti millia: Thu-  
 ribulorum item, quibus Prunæ ab Altari Holocauistico, ad Altare Thymia-  
 matis deferebantur, quinquaginta millia. Terrebat Horas, quibus AVTY-  
 MNALE HOROLOGIVM apparandum erat, istiusmodi HORUS, & HOROLOGVS  
 tam AVREVS ONIADES: cui accinere non liceret illud Poëtæ:

*AVREA sunt vere nunc tempora, plurimus AVRO*

*Venit Honos* \_\_\_\_\_

Occinendum potius videretur:

\_\_\_\_\_ *Quid non mortalia pectora cogis*

*Auri sacra fames?*

At Vrania more suo, Mysticum ex historico sensum eliciens, turbatori-  
 bus horis, Musisque iam conturbatis animum reddebat: sic eandem  
 appellans: En ipsus Oniades apud hagiotypographum,

Eccl. 50. 10.

Quasi vas Auri solidum, ornatum  
omni Lapide pretioso.



VRVM inter alia Metalla nobilissimum, efficacissimum, purissimum, durabilissimum, seu, ut Chymici proprie loquuntur, fixissimum, ductilissimum, ac pretiosissimum censetur. Aurum omnia tum Aquæ; tum Ignis, Elementorum cæteroqui fortissimorum examina rigidissima integerrimè sustinet: Aqua Ignem, Ignis Aquam destruit: Aurum neutrius vi destruitur: quin imo ab Igne, quo magis patitur; hoc purius, ac perfectius invenitur. Auri ponderositas ex summa Mercurialiū spiritui, ut appellatur, fixatione, seu cōpactione, inter alia mixta peculiariter ingravescit: Exempligratia: Romani Sextarii Mensura, seu Quantitas in Stanno 150. Vnciarū: in Ferro 162. in Cupro 182. in Argento 280. in Plumbo 233 in Argento vivo 300. in Auro 375. Vnciarum libræ pondus habet; ita ut inter quorumvis Metallorum æquales in Quantitate massas, unius Auri massa reliquis omnibus in pondere suo prævaleat. Huic aureæ pōderositati comes admirabilis est Aurea Ductilitas, ex illa subtili Mercurialium spirituum inter se cohærentia procedens. Auri enim Vncia, si Cardani subtilitatibus credendum, in eam tenuitatem sub malleolo supra incudem adduci potest, ut decem terræ iugera tegantur: & grani aurei pars tertia in filum 134. pedes longum extenditur: quæ ductilitas ut ex humido, siccoq; necdū prorsus liquato Auri temperamento nascitur, ita per subtiliorem illius, & magis detæcatum halitum spirituosum peculiariter consummatur. Auri pretium ex incorruptibilitate Auri, teste Plin. lib. 33. cap. 3. æstimari solet: quia nec Igne consumitur, nec Vsu atteritur, nec Rubigine, aut Ærugine Inficitur: nihil largius dilatatur: nihil dividitur numerosius. Vnde sicut magnificentius, ita compendiosius in sumptuosissima Principum Regumque opera peculiariter usurpari consuevit.

Operosissimum illud Salomonis Regis Magnificentissimi Templum, Orbis totius miraculum, omnis Architecturæ prototypon divinitus formatum, inter alia sui ornamenta præcipua, & universaliora, suum in primis aurum ostentabat: videlicet ab imo sursum quaquaversus totum AUREVM: nam & Oraculum totum, nempe Sanctum Sanctorum, 3. Reg 6 20. & universa Domus ante Oraculum, v. 21. & ipsum utriusque pavementum, v. 30. suis AVRÏ purissimi laminis per aureos clavos affixis universim operiebatur; quem in finem pijsissimus Rex David 1. Par. 22. 14. talentorum AURI centum millia ex communi arario: talentorum item Auri ex suo peculio tria millia, 1. Par. 29. 4. suo filio Salomoni reliquerat, insignem profe-

cto summam: ut facile colligitur ex singulis talentis, velut sexcentis aureis, inter se computatis: huic porro summæ postea Rex Salomon, adiuvante Populo, & Optimatibus, tantum adiecit, ut in AUREAM DOMUM Domini ad tria millia millionum Auri expensa censeantur. Nec mirum videri debet AURI tantum impendium tot centenis, imo millenis Templi vasis, & operibus AUREIS legitime fabricandis adhibitū, ut in Tēplo quasi VASE MAXIMO similiter AUREO, partim ad ornatū; partim ad usum, divinitus ordinatum, deservirent: id enim sicut Dei Gloria, Templique Maiestas ita piissimi Regis erga Deū Amicissima, & Sapientissima Liberalitas in his AURI vasis, & operibus, velut CHARITATIS & SAPIENTIÆ Divinæ typis figurata exigebat; Divinam Amicitiam ipsum AURUM; Sapientiā diversā operum vasorumque AUREORUM Forma, & Figura designat: prout Aurum cæteris metallis; ita Virtutibus omnibus præstat DEI Caritas, & Amicitia: Virtus in genere moris naturam humanam superantis nobilissima: in operando efficacissima: in conversando purissima: generosissima in adversando: Sic Animo humano per Divinum Spiritum infixā, ut 1. Cor. 13. 8. *nunquam excidat*: istius Ponderis, & Ductilitatis, ut omnibus præponderans, divinitus ibidem v. 7. *omnia sufferat, omnia credat, omnia speret, omnia sustineat*: denique istius pretii, ut pretiosissimam æternæ vitæ gloriam in emporetico Ecclesiæ adhuc Negotiantis Templo sibi sola coëmat, & sola persolvat. Hinc Archiepiscopus ille Apoc. 1. 13. *in medio candelabrorum AVRORVM deambulans* Episcopum Laodicenum Apoc. 3. 18. sic affatur: *Suadeo tibi emere à me AVRVM ignitum probatum, ut locuples fias*: ubi per AVRVM ignitum fervens in Deum Caritas intelligitur emenda congruo Fidei, Spei, Religionis, aliarumque Virtutum pretio, ad condignum illud Charitatis pretium iure comparandum. Amicitia Divinæ formatrix est Sapientia divinitus infusa, eiusdem Comes ab eadem inseparabilis, multiformes illi; sed uniformiter difformes Vasorum Spiritualium figuras imprimens, quibus Dei templum insigniter honestetur.

Eiusmodi VAS Divinæ Sapientiæ in Solido Charitatis AVRO expressum, omnibusque Virtutibus adornatum noster Hagiotypographus intelligit Oniaden illum typicum exhibendo, *Quasi Vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso*. Vbi VAS, hebraico Idiomate significat Hominem, quo Deus velut Instrumento, ad Finem sibi propositum utatur: sicut Act. 9. 15. Paulus, adhuc Saulus, *Vas electionis* dicitur: nec dubium est apud Hagiotypographi accuratos Interpretes, quin per illud *Vas auri solidum* ad singulare aliquod Hierosolymitani Templi Ornamentum Aureum, seu Vas quoddam alludatur: Sed in certum est, quodnam: plerique suspicantur intelligi RATIONALE Pontificis ab illius Epomide suspensum, videlicet duodecim lapidibus pretiosis insignitum: cui tamen congruere non videtur illud *Vas Auri solidum* quod Hagiotypographus græce nominat *ἰλοσφύρακι* quasi totum malleatum, seu malleo ductum: cuiusmodi erat illud CANDELABRVM Mosaicum, de quo fabricando præcipitur Mofi Exod. 25. 31. *facies & Candelabrum ductile de Auro mundissimo: Hastile eius, & Calamos, Schyphos, & Spharulas, ac Lilia ex ipso procedentia: Sex Calami egredientur de Lateribus: tres ex uno latere, & tres ex altero: & v. 37. facies Lucernas septem & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso. Candelabrum hoc sicut Ecclesiam, ita Hieropolitarcham in Ecclesia repræsentat, ut in Ar-*

bore Caudicem; Scapum in Columna: utrinque suos tendentem ramos tergeminos, inde Hierarchicos à dextris; hinc à sinistris Politarchicos: Hieropolitarcha enim triplicem utrinque, tum Hierarchiam in Ecclesiasticis; tum Politarchiam in Politicis negotiis, per suos triplices Administratores, nempe Summos, Medios, & Infimos, exacte subordinatos legitime gubernat, velut Administrator, & Dispensator Fidelis Rempublicam sibi à Christo IESU commissam: utrinque triplici officio Hierarchico, scilicet Hierarchæ simul; & Politarchæ, suos Ordines purgantis, illuminantis, & Inflammantis, afficiens, ut singulatim omnes proficiant.

HOC AVRI VAS SOLIDVM est Charitatis, & Sapientiæ Divinæ Symbolum in Ecclesia, quæ, instar Corporis, ab Hieropolitarcha suo velut Capite simul, & Corde in suis Membris, tum Politicis, tum Ecclesiasticis peculiariter animata sustentatur. Calami utrinque suos inde Spiritus, à Corde Vitales; à Cerebro velut Animales, quibus recte operentur, participant: Calamorum Lateralium unusquisque suis tum Scyphis, tum Sphærulis, tum Liliis exacte subordinatis contextitur. SCYPHI vacui Deum & Divina sitiunt: figura in SPHÆRVLIS rotunda sui perfectionem indicat, sibi contigua secundum minimam sui partem attingens: nihil angularum, sordiumve angularium permittens. LILIA sicut odorem Vitæ bonum, ita fertilitatis optimam spem afferunt. CALAMORVM inter Sphæulas & Lilia ex Hastili processus eorundem in SCYPHO vacuo penuriam divinarum sitientem gratiarum: in SPHÆRVLIA Virtutem internam; externum denique in LILIIS Exemplum demonstrat: nec semel, aut bis tantum; sed omnino ter hic Ordo in Calamis utrinque, imò quater in HASTILI, velut Calamorum Exemplari, ad recolendam frequenter huius demonstrationis Memoriam, iteratur. HASTILE cum suis Calamis, Scyphis, Sphærulis, & Liliis, ex purissimo Charitatis AVRO, per Divinam Sapientiam ductile, non fusile, diversis variarum tentationum, & afflictionum quasi malleorum ictibus formatum perficitur: ita ut omnia ex ipso Hastili velut Calamorum prototypo intrinsecus ex Charitate non ficta, ex animo Sapientis Hieropolitarchæ prodeant.


Huiusmodi Candelabrum in Mosis Tabernaculo unicum, Exod. 25. 31. describitur factum iuxta exemplar in Monte Sina divinitus illi monstratum: ut collocaretur in Sancto ante Sanctum Sanctorum ad meridianum Tabernaculi latus contra Mensam duodecim Panum, item auream, in Aquilonari latere collocatam, ita ut Candelabro & Mensæ intermedium esset Altare thymiamatis: ubi Oratio velut Incensum Psal. 140. 2. dirigeretur in conspectu Dei. Rex autem Salomon divino instinctu prævidens in Ecclesia Christiana longe maiorem quam in Synagoga Motaica perfectionem, Candelabra huiusmodi ex auro puro decem 3. Reg. 7. 49. fecisse narratur, videlicet quinque ad dextram, & quinque ad sinistram contra Oraculum disposita. Numerus denarius ad septenarium pro septem in Asia Ecclesiis designandis Apoc. 1. 12. restringitur: ubi conversus à sono tubæ Angelicæ Ioannes vidit septem CANDELABRA AVREA: & in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio Hominis deambulantem: qui Matt. 5. 15. Apostolicam *Lucernam accensam ponis super Candelabrum, ut luceat omnibus qui in Eccle-*

*ſua domo ſunt* : & ſi opus eſt Apoc. 2. 5. *venit, & movet Candelabrum de loco ſuo.* CANDELABRYM, Epifcopi Officium, Dignitas, & Locus eſt, in quo Epifcopus collocatur à Chriſto, ut ſubditis luceat, ſuis ideo Gratiis, Donis, & Virtutibus quaſi lapidibus pretioſis ab eodem illustratus : unde ſi per culpam ſuam Epifcopum hac ſua Luce privari contingat, movetur Candelabrum de loco ſuo.

Candelabrum illud ſeptididum per ſeptem Calamos adumbrat Epifcopum velut ARCHIMYSTAGOGVM in adminiſtrandis ſeptem Novi Teſtamenti Sacramentis, quibus illud Myſticum Eccleſiæ Chriſtianæ Corpus, in ſuo tam Humano; quam Divino Statu per HIEROPOLITARCHAM ſuum legitime conſervatur, propagatur & conſummatur. HASTILE Candelabri velut eiſdem Baſis, & Columna, & Caput, ipſum Chriſtum in Sacramento EUCHARISTIÆ, hinc & ipſum Hieropolitarcham eiſdem in terra ſua Vicarium repræſentat : huic à dextro latere, in ſummo calamo Sacramentum ORDINIS; à Siniftrò, MATRIMONII Sacramentum in ſuo illi calamo velut analogum eſt: Calami duo natura ſua univerſaliores, ideoque priores, utrinque ſuum ita præfigurantes Myſterium, ut ſuo utrumque ſingulariter Hieropolitarchæ cõveniat, prout ſcilicet i eodẽ Potestas Hierarchica, & Politarchica in Univerſale Bonum eorũ Eccleſiæ coniugatur : nempe ad Ephe. 5. 3. 2. *Sacramentum hoc Magnæ eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia:* Sicut enim Vir & Mulier Corporale, ita Chriſtus, eiſque Vicarius, noſter Hieropolitarcha & ipſius Eccleſia Spirituale contrahunt inter ſe Matrimonium: & quidem ita, ut Corporale ad Spirituale tanquam Finem ſuum: utrumque porro ad Nuptias Agni, & Vxoris eiſ Apoc. 19. 8. in æterna vita conſummandas divinitus ordinetur. Ex corporali Matrimonio geniti ad Mortem Liberi, à Chriſto ſuo, eiſque Vicario, per Calamum Primo ſecundum, BAPTISMI Symbolum in aqua regenerantur, adhibito Catechumenorum oleo per HIERARCHAM rite conſecrãdo, ut per hoc baptizati vertex inunctus Chriſto ſuo Capiti purificatus, & illuminatus uniatur: Baptiſmi à ſiniſtris Calamo ſuis CONFIRMATIONIS à dextris Calamus exacte congruit, ut regeneratus Homo per Gratiã, in eadem ab Hierarcha ſuo per CHRISMA Spirituale confirmetur. In tertio calamo inde à Siniftris, POENITENTIÆ hinc à dextris, EXTREMÆ VNCTIONIS Sacramentum, Viatico ad vitam æternam proximum, in oleo ſuo tam interno; quam externo ſingulariter ab HIERARCHA præparandum exhibetur: ut ſicad Fontem ſuum Eucharifticum Sacramenta reliqua velut Calami ad ſuum Haſtile, ſubditis ad ſuum Hieropolitarcham ſuo tam voluntatis ardore; quam lumine Intellectus efficaciter ordinentur. velut ad Vicarium dicentis apud Ioannem 6. 55. *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in novifſimo die: Caro enim mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Ecce unum, & ſuis inter ſe Calamis, in eodẽ Haſtili, unitum CANDELABRYM; in quo ut Sacramentorum, ſic & Virtutum peculiaris Hebdomas exprimitur: nimirum tota LEX REGALIS ut Iacob. 2. 8. appellatur, in tribus Virtutibus Theologicis: & Cardinalibus Moralibus quatuor univerſim comprehenſa, per hoc ipſum CANDELABRYM examuſſim figuratur:

dum ab intermedio Hastili Charitas Regia, per duos priores magis universales Calamos, in Fidem ac Spem Theologicam : hinc sursum ad Virtutes Morales, in primis vero per duos Calamos utrinque intermedios ad Prudentiam, & Iustitiam : denique ad Fortitudinem, ac Temperantiam, per supremos duos Calamos affabre dilatur. IDEAM universæ Fabricæ Hieropolitarcha ille typicus Oniades Antitypo suo representat, per suam Horam EVNOMIAM, in Horologio suo Legislatricem optimam, insinuato eidem Hieropolitarchiæ suæ initio, per hoc à se datum illi amplissimum Testimonium :



Iste noster Hieropolitarcha Virtutibus  
regis Coruscans,  
quasi Vas auri solidum.

Quod ut & ornatum omni lapide pretioso, in sua Chronologia exhiberetur  
illud ab ipsius Orbis conditi exordio deductum Eunomia subiungebat  
Oniades suo, pari sensu, Elogium :

Oniades noster Paterans Virtutes  
resplendet,  
quasi Vas auri solidum, ornatum omni  
Lapide pretioso.



**V**AS ILLUD AVRI SOLIDVM ab Vrania in *Candelabro* Apocaly-  
 ptico expressum, hoc titulo, cæteris Musis, Horisque, displicebat, quod in septem illis Candelabris Apocalypticis, Episcopi totidem, cum suis Ecclesiis adumbrentur, quasi totidem Planetæ inter quos unus tantum, secundus videlicet Apoc. 2. 8. absolute laudetur, instar SOLIS ardentior primus vero ibid. v. 4. quasi MERCVRIVS in ardore languidior: tertius v. 14. quasi Luna mobilior: quartus v. 20. instar VENERIS imbecillior: quintus Apoc 3. 1. quasi Mars fessus; & dormitans: Sextus v. 8. instar IOVIS, cæsi Felix; inter-  
 im Timidior. Septimus v. 16. velut Saturnus, omnino tepidus, ac temerarius exhibeatur. Sed hæc Musarum, Horarumque displicentiam subito abstergebat hæc Vranix ad *Oniaden* suum directa Vox: *Sapiens dominabitur Astris*: in aureo isto Candelabro sicut Planetarum, ita Donorum Spiritus Sancti Hebdomas, in suos Calamos diffusa; eosdem liberaliter cum omnibus; liberalius autem quia fructuosius, cum Hieropolitarchis communicat. His Vranix dictis excitata Musarum Trias prout Oniaden suum quasi Plan-  
 etam Solem, Lunam, & Matutinam Stellam cecinerat; ita eidem suos in Cæ-  
 o duplices omnium Planetarum Motus uniformiter difformiter confor-  
 biter ad suum Temperamentum ordinatos per Strophem, & Antistrophem  
 in Epodo quiescentem accinere conspirabat. Polyhymnia  
 suam ita Strophem ordiebat:

**H**inc auferte gradum, rectifido calle Planeticū  
 Qui turbatis iter sidereæ Lucis: in Avia  
 Errones Stygii, Tartareæ Noctis Imagines:  
 Tu SATVRNE, tuis Falce minax insaturabili  
 Gnatis, heu miseris! Tuque tuis nomine IVPITER,  
 Non virtute PATER: Tu iugulans Fulmine; non  
 Iuvans:

Fortunæque timens ambigux Ludibrium pati:  
 Et tu sanguineis MARS agitans cuncta furoribus,  
 Dormitansq; fatigatus: atrox mitibus: insolens  
 Misuetis: humiles discrucians: innocuis nocens:  
 Quin & TV radiis, PHOEBE, tuis immoderatio  
 Exvrens viridi grata solo germina: TV quoque  
 Subnervata VENVS, lucifugis pronuba noctibus:  
 Et tu plene dolo, Mercis amas, perfida, MERCVRI;

Argumenta docens: Tuq; tuis quã vaga motib<sup>9</sup>;  
 Tam diversa Strophis LVNA novos perpetuans  
 Hinc auferte gradum, (tropos.

Ita eliminantis ab Oniade suo Planetas velut inauspicatos, Polymnia Strophem, Clio, per Antistrophem, suam abrumpens, eosdem ut Oniadae suo auspiciatissimos, Metro eodem sic invitabat:

Huc afferte gradum, septifido calle Planeticu  
 Qui formatis Iter: Siderea Lucis in ardua  
 Ductores superi, continuis invariabiles  
 Affixi methodis: ONIADEN FALCIGER Aureus  
 Prudenti foveat consilio: frigida luridi  
 SATVRNI facies à IOVE sit Magnificentior,  
 Aspectu placido: MARS cholera fervidus igne  
 Mitescat VENERI, quam facilis IVPITER, ausibus  
 Castis respiciens, auspiciis omnia prosperis  
 Cautè suscipiat: dum face SOL auricoma sui  
 Auramenta Fori perspiciens, his velut Aurifer  
 Consummatus agros auriferos MERCVRIO serat  
 quos versatilis hic SOLIS ACHATES obeat, suo  
 Mercatu æthereas terrigenis suppeditans opes  
 Auro vendibiles: Aureolis hoc radiis potens,  
 Vultu Plena suo LVNA micans Oniadae paret  
 Nostro: quem Solidi Vasis Honos AVREVS in-  
 dicat.

Obscuram iussu Polymniæ Strophem, & Clitis Antistrophem, illuminare sua Epodo Calliope non audebat: ne Oniadae sui exacto ingenio affidere putaretur: Sic ergo utrique pari metro quasi per Epodum accinebat:

QVALES flammigera circumeunt fronte  
 Planetici  
 Orbes, quisque suo circumagens axe suam sibi  
 Flam-

Flāmam congenitam : quisq; suis huc gradiens  
Strophis;

Illuc oggrediens: ut parilem continuo gradu  
Omnes disparili sustineant Ætheris impetum  
Sub Phoebi Auspiciis : Temperiem qui parēt  
Mundi climatib<sup>9</sup>, fructifero germine divitem:  
Tales Flāmigenis stant rutilæ LAMPADES ignibus,  
Queis in septifida fronte micat, sic procul, ut  
propē, (netico

AVRI HOC VAS SOLIDVM: cuius Honos igne Pla-  
Septeno irradians, PADERIDVM Clima suis beat  
SCINTILLIS: quid aget magnificis prædominan-  
tibus

FLAMMIS? quas Oleæ pinguis alat succus opimior,  
Nunquam deficiens, cōtinuis proficiens Modis  
Verè Palladiis: dum solidi VASIS, & Aurei  
CANDELABRI Op<sup>9</sup> hoc exhilarat semper Olivitas.

Oniades enim apud Hagiotypographum Eccl. 50. 10. QVASI VAS  
AVRI SOLIDVM ORNATVM OMNI LAPIDE PRETIOSO: apud eundem ibi-  
dem vers. 11.



**O**LIVA inter Arbores non vulgare Principatus Symbolum: ut in Apo-  
logo suo prudenter insuabat residuus ille Magnanimi Gedeonis Fi-  
lius patrifans Ioatham: qui audito, fratrem suum Abimelechum, olim Pa-  
tri suo, ex Concubina Sichemitica genitū, Sexaginta octo Fratrum suorum  
ex Matre alia genitorum occiforem, à Sichemitis constitutum Regem:  
Iud. 9. v. 7. *ivis, & stetit in vertice Montū GariZim: elevataque voce clamavit, & dixit: Audite  
me, Vir*

me, Viri Sichem, ita audiāt vos Deus. Ieiunt Ligna utINGERENT super se REGEM: dixeruntque Oli-  
 va: Impera nobis: quaerendit: Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua & Dii utun-  
 tur & Homines, & venire ut inter Ligna promovear? Dixeruntque ligna ad Arborem FICVM: Ve-  
 ni & super nos Regnum accipe. Quaerendit eis: nunquid possum deserere dulcedinem meam, fru-  
 ctusque Suavissimos, & ire, ut inter cetera ligna promovear? Locutaque sunt Ligna ad VITEM:  
 Veni & impera nobis: quaerendit eis: nunquid possum deserere VINVM meum, quod laticat  
 Deum & Homines, & inter ligna cetera promoveri? Dixeruntque omnia ligna ad RHAMNVN:  
 Veni & impera super nos: quaerendit eis: si vrre me Regem vobis constituitis, venite, & sub um-  
 bra mea requiescite: Si autem non vultis, egredietur ignis de Rhamno, & devoret cedros Libani.  
 Hucusque loatham Apologus, in quo sicut Rhamno Ficus, & Vitis; ita  
 Viti, & Ficui Oliva praefertur, simulq; Hieroglyphica, Principis in Ecclesia  
 Christiana legitime constituendi, Methodus adumbratur.

Trium nempe istorum, Lignorum ternio, sicut universitatem pro-  
 borum, illegitimam Tituli Regii acceptionem subterfugientium exhibet:  
 ita & invitationum, & obsecrationum, & promissionum improbarum, qui-  
 bus ad Regium Thronum, etiam probi, aliquando seducuntur, frequen-  
 tiam designat: TRIA enim, ut Arist. l. de Caelo cap. l. evincit, SVNT OMNIA:  
 In Rhamno Ambitiosus, Impius, Diviniq; timoris expert Abimelech, omni-  
 que illegitimus Regiae Dignitatis affectator exprimitur: asper enim, aculea-  
 tus, nihil fructuum afferens, conversanti molestus, & gravis est Rhamnus;  
 interim suam alienae quieti, protectioni, ac Securitati fallacem umbram  
 praetextens, qua Subditorum Oculos fascinet, ut inescati Suavius, atque  
 facilius eadem irretiantur. Sic porro irretitis, graviores paulatim, & acerbio-  
 res Barbarici Regni, seu Tyrannidis executiones importunius adurgentur:  
 quibus ni pareas, & acquiescas, ecce tibi mox egreditur IGNIS de Rhamno, ve-  
 lut ex Ira nimia succenso, & supra modum indignante Fidem qualem qua-  
 lem subditis datam, a quibus non servetur: hinc nec illis a Principe obser-  
 vandam, cuius Maiestas Regia sic laedatur, irrideatur, contemnatur. Hinc  
 Mulctae, poenae, cruentaq; tam innocentium, quam nocentum supplicia ipsis  
 etiam Reipublicae Optimatibus illi Rhamno rectorientis suffragatis immi-  
 nentia, ut cum Sichemitis & Abimelecho, mutuis pariter Ignibus devora-  
 ti tandem quoque pariter utrinque in cinerem redigantur: hinc non ma-  
 le Thom. Cantiprat lib 2 cap. 34. VAE illis, quorum suffragio electionis su-  
 stolluntur indigni: eis fiet, sicut in libro Iudic. dicitur, ut ignis egredietur de Rha-  
 mmo & succendat Ligna Sylvarum. Id ibidem exprimitur, ipsisque probatur experi-  
 mentis. Vnde Sapienter Oliva, Ficus, & Vitis, regnum inter Ligna utrinque  
 tam periculosum acceptare omnino abnuerunt: unaquaeque suam in sua  
 Regni abnuendi ratione sibi peculiarem, quantumvis imparem, Sapien-  
 tiam, Regi, seu Principi Sapienti annorandam, exhibet. unde Maior Olivae  
 dignitas regnandi legitime, non illegitime, colligatur.

Vna eademque, si generatim, & absolute consideretur, omnium illa-  
 rum trium Arborum, causa & ratio est, cur oblatam sibi Regis Arborarii di-  
 gnitatem recusent: eaque partes habet duas: prior est: sua Sorte suoque  
 bono contentam esse quamlibet: nolle illo privari, seu carere, posterior au-  
 tem: Nolle anxiiis curis angī, molestiis, & Laboribus confici, ut inter Ligna  
 emineant, ac regnent. Pulchrum ab his arboribus documentum Homini  
 ad Honores, ac Dignitates vocato, si quidem ipsi Arbitraria sit annuendi, &  
 abnuendi

abuendi Optio, in abnutum potius; quam vel minimum annutum pro-  
pendere, consideratis plurimis, maximisque in quocunque dominatu legi-  
time tuendo periculis: maxime si vel inhabilitas, vel propriæ Salutis ac Per-  
fectionis ex alienæ Cura Discrimen interveniat. Sed hac frugiferarum Ar-  
borum insigni ratione abutuntur, qui otiosam vitæ privatæ quietem sic af-  
fectant, ut nec sibi, nec aliis: vel ita, sibi, ut non aliis, prosint: omnis enim  
Arbor, quin & ipse Rhamnus, aliquem non tam sibi, quam aliis fructum af-  
fert: nihil tam asperum, seu noxium, ex quo non dulce quid, aut utile pro-  
veniat. Nulla suos Arbor fructus comest: nulla suo Fructu ita fruitur, quin  
eundem alteri velut bonum, ex natura sua communicet, hinc & Bonum il-  
lud, quo Arborum illarum trium singulæ aiebant se contentas, nec illo per  
oblatam dignitatem Regiam destitui volebant: eiusmodi bonum erat,  
quod & ipsis, & aliis bonum foret: ita ut etiam si Regiam Dignitatem non  
adirent, nihilominus prodesse aliis: & quidem (quod singulariter obser-  
vandum) aliis multo præstantioribus, quam sint ipsa Ligna, quibus, re-  
gnum capeffendo, magnam allaturæ utilitatem putarentur. Quanto enim  
Homines, Diiq;, Lignis excellētiore, tanto excellentior, quæ ad hos redun-  
dat, Utilitas. Bonum Vitis est Vinum lærificans Deum, & Homines: ut enim  
Verus Israëlitarum Deus Num. 15. v. 5. 7. 10. Sic Deut. 32. 38. falsi Gentilium  
Dii pro suorum Sacrificiorum Libaminibus, Vinum quasi rarissimum ha-  
bebant, eo que sic lætari & gaudere videbantur: quomodo autem Homines  
Vino exhilarentur, noverint quotquot illud vel primoribus labris degu-  
starint. Bonum Fici dulcedo fructuum, & Suavitas etiam pueris notissima:  
hinc apud Aristophanem in Vespis: delicatulo filio ciborum delicias volenti,  
Pater ajebat: *Σύκα μ' αἰτῶς*: Ficus à me postulas: unde *Συκόμυς*, puerorum  
instar, ficis gaudens, Matris delicatæ Filius Iud. 9. 11. dicens: *nunquid possunt  
deserere dulcedinem meam, fructuq;, suavissimos?* Hebræum Idioma REDITVM OPTI-  
MVM vocat, insinuans Fici peculiarem fertilitatem, & lucrum inde Ficariis  
Dominis uberrimum. Nec tamen placet Montanus Arias, cæteroque præ-  
clarus Interpres: dum ad sui unius commodum referre Avaram Ficum  
omnia, dicitur: nihilominus abs re non inquisitum: cur non, sicut reliquæ  
duæ, aliquam Divini Honoris mentionem faciat? prudenter id reticendum  
apparet, cum nulla, seu in Veteri, seu in Novo divinarum Literarum Testa-  
mento, Ficarii Sacrificii, nempe ficuum in Sacrificiis adhibendarum, sit  
mentio, sicut Vini, & Olei: manet interim Fici præ Vite dignitas aliqua, tum  
ex ubertate sibi quotannis fere ordinaria; tum ex firmiore, sicut & altiore  
Statura, cuius radix in terra solidior magis se diffundat. Sed his omnibus, &  
Vitis; & Fici Bonis Olivæ Bona longe, lateque supererminent.

Proprium OLIVÆ BONVM, quo velut contenta vivit, quodque nul-  
latenus amittere vult, est PINGVEDO, qua & *Dij utuntur, & Homines*: videlicet  
non qualiscunque pinguedo; sed viscosa, tenax, grata, & salubris: quæ à  
quibusdam oleosa discriminis ergo, dici solet: ut & Oleæ Arboris, & Olivæ  
fructus, & liquoris Olei, peculiaris Oleositas hoc verbo exprimat: Illud  
quoad illam pinguedinem, admirabile, quod et si alia Corpora quo pingui-  
ora sunt, eo facilius putrescant, *Olea*, licet pinguisima, longissimam ætatem  
apud Plin. lib. 16. cap. 4. 5. participet: unde Pinguitudo hæc non male à vul-

gari quavis alia Pinguedine distinguitur; prout & in Arbore Olea, & in Oli-  
va fructu, & in Oleo illinc expresso reperitur. Ex Oleæ Ligno fabre fieri  
quidem aliquid potest; sed è Ficu vix aliquid. Lignum Vitis etiam cum est  
integrum Ezech. 15. 5. *non est aptum ad opus*. Folia quam Viti caduca diffuunt;  
tam OLIVÆ Stabilia perseverant; Vitis ad potum: Ficus ad esum: Oliva  
sicut ad potum, & ad esum: ita & ad illuminationem, & ad unctionem lin-  
gulariter valet: cuius nimirum pinguedine Dii, & Homines, non tantum  
sicut vino inaniter, lærantur; sed item salubriter utuntur, sicut ad necessi-  
tatem utiliter, ita honeste ad gloriam, & in terris, & in calis obtinendam.  
Vnde quod Interpres Vulgatus habet: *Nunquid possum deserere pinguedinem meam,*  
*qua & Dii utuntur, & Homines:* ex Hebræo verti posset, *qua & Dii honorantur, & Ho-*  
*mines:* Oleo enim honorabatur Deus dum ad Sacrificia Levit. 2. 1. & ad Lumi-  
naria in templo item Sacra Exod. 25. 35. & ad Altarium, Levitarum, Sacer-  
dotum ac Pontificum solennem consecrationem adhibebatur. Homines  
item honorabantur Oleo per inunctionem, scilicet Hominum Reges, Di-  
vinæ Maiestatis Vicarii designati: prout in prædicto Apologo Iud. 9. 8. dici-  
tur: *terunt Ligna ut ungerent super se Regem.* Sic 1. Reg. 10. 1. Saul primus Israelita-  
rum Rex: & post illum David 1. Reg. 16. 13. à Samuele inunctus legitur:  
qui Reges inungendi Mos deinceps ab Israëlitis retentus, inde ad Christia-  
nos Imperatores ac Reges solenniter inungendos derivatus etiamnum legi-  
timate in Ecclesia observatur. Quomodo S. Remigius Episcopus Rhe-  
mensis (cuius diem festum inunctioni suæ Hierarchicæ Noster ONIADES  
quam pi e, tam prudenter, in huius memoriam sibi dedicavit) ex Ampulla  
Chriftatis, ore columbino cælitus delata, ut Baron. an. Christi 499. recen-  
set, Clodoveum Ethnicum Regem Francorum, ad Christianam Fidem  
conversum, velut Christianum Regem baptizatum inunxit: Cuius exem-  
plo successores Francorum Reges, eiusdem cælestis Ampullæ quasi peren-  
nantis Oleo Sacro hæctenus inungi consueverunt. Nec solum in hono-  
ribus; sed in deliciis item humanis, antiquissimus est OLIVÆ usus præsertim  
apud Orientales Populos Olivæ abundantiores: ut enim de Convivio-  
rum, Balnearumque unctionibus taceatur: Athletarum certe, Pugilumq;  
unctiones prout ad expeditius, ac vegetius horum certamen, sic & ad iu-  
cundam spectaculorum, spectatorumque voluptatem ordinabantur.


Vnde patet, quanto lure OLIVA tum Fico, tum Viti, secundum Natu-  
ram præferatur: sed grande latet in eiusmodi Natura Mysterium, Regibus,  
& Principibus, in primis autem Hieropolitarchis, erudendum: Ille Ligno-  
rum TERNIO, velut in triformi Sceptro, HEROICA Virtutum Regiarum  
Symbola continet: In VITÆ Hilaritas, & Alacritas, Vini progenies adum-  
bratur: In FICO Iustitia, Lenitas, & Affabilitas. Iustitiæ est, quod quem Ficus  
multum è terra humorem fugit, copiosius refundat: Lenitatem & Affabi-  
litatem, sua Ficus dulcedine, ac Suavitate consignat. In OLIVA denique sub-  
tilissima omnium Virtutum illuminatrix Sapientia, earundemque studio-  
sissima Nutrix Religio, & Ardentissima Divinæ Gloriæ aucupatrix Charitas  
omnifariam elucet: prout iam supra in VASE AVRI SOLIDO, nempe Aurco  
Candelabro, velut Regio Heptalychnucho, intuebamur: cui ne suum de-  
fieret Oleum: ecce tibi ONIADES noster, paulo ante quasi VAS AVRI SOLI-

BYM, absque ulla Metamorphosi, aspicitur QUASI OLIVA PVLLVLANS. Cre-  
 diderim Hagiotypographum Nostrium in hac sui Oniadæ contemplatione  
 Typographica suscitatum ab illo Angelo qui Zach. 4. 1. reversus in eodem loque-  
 batur, & suscitavit eum quasi Virum qui suscitatur de Sonino suo: & dixit ad eum: Quid tu vi-  
 des? & dixit Zacharias: Vidi & ecce CANDELABRVM AVREVM totum: & LAMPAS eius su-  
 per caput ipsius: & Septem LVCERNÆ eius super illud: & septem infusoria Lucernæ, quæ erant  
 super caput eius. Et DVÆ OLIVÆ super illud: una à dextris Lampadis & una à Sinistræ eius. Et  
 respondi, ait Zacharias, & aio ad Angelum, qui loquebatur in me dicens: Quid sunt hæc, Domi-  
 ne mi? Et respondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Nunquid nescis, quid sunt hæc?  
 Et dixi: Non, Domine mi. Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel,  
 dicens: Non in exercitu, nec in Robore; sed in Spiritu meo: dicit Dominus exercituum. Quis tu Mons  
 Magnæ coram Zorobabel? in planum & v. 11. Respondi secundo, & dixi ad eum: quid sunt  
 due Olive istæ, ad dextram Candelabri, & ad Sinistram eius. & v. 14. Dixit: Isti sunt duo Filij  
 Olei qui assistunt Dominatori universe terra: nimirum Iosue Pontifex Hierarcha, &  
 Dux Zorobabel Politarcha: uterque Filius Olei, nempe PRINCIPALI OLEO in-  
 unctus: uterque Christi Summi Regis, & Pontificis Typus: Vtiusque Di-  
 gnitatem, sicut Oniades ille Typicus in persona sua præsentabat; ita Noster  
 Antitypus repræsentat: quorum auspiciis Templum Domini per Captivi-  
 tatem Bâbylonicam deformatum reformetur: & Aureum Templi Cande-  
 labrum suis tum Lampadibus; tum Olivis destitutum restituatur: non  
 tam in Exercitu vel robore militari; quam in Spiritu meo: dicit Dominus Exercituum:  
 Videlicet in Spiritu Dei Sancto, verum Hieropolitarcham animante: cui se  
 frustra, etsi Montis instar, quisquis est; cum illo Sanaballat. 2. Esdr. 4. 1.  
 adversarium obiecit: audiet enim cum eodem: Quis tu Mons Magnæ, coram Zoro-  
 babel? in planum: Scilicet, humiliaberis Dicitum factum: illis olim tempo-  
 ribus: idemque Nostri futurum auguramur, ex OLIVA Symbolo Pacis, &  
 Abundantiæ: iuxta illud Psal. 121. 7. Fiat Pax in Virtute tua, & abundantia in Tur-  
 ribus tuis. Vnde in Nummis Augusti Cæsaris Pacifici, PAX velut Ma-  
 trona ostentabatur habens in Sinistra, cum Olivæ ramo plenum Cornu co-  
 piæ optimis frondibus, floribus, & fructibus redundans; in dextra porro Fa-  
 cem, quæ Mons Armorum succensus comburebatur. In Nummis Traiani  
 compendiosius idiplum PAX exhibet manu dextra portendens ramum Oli-  
 væ; Sinistra Cornu Divitiarum: similiter PAX apud Pausaniam, velut egre-  
 gia Virago Imaginem Pluti, nempe Divitiarum Præsidis in dextra; in capite  
 Olivariam coronam gestans.

Insignia vere Principum Irenæorum Symbola: quibus HORA TER-  
 TIA IRENÆ suum Oniadæ Nostri clogium velut Synonymum adiungeret,  
 si per DICEN HORAM SECUNDAM, lure suo Tertia priorem, ita liceret.  
 Pacem enim perfectam EVNOMIA HORARVM PRIMA, etsi perfectissima  
 Legislatrix, omnia perfectissime distribuens, conferre non potest; nisi per  
 Dicen omnia singulatim, Hic, & Nunc, ut aiunt, secundum Leges perfe-  
 ctissime iudicando exequentem. Id quoniam Romanis illis tam Impera-  
 toribus quam Imperij Romani Principibus vel suo, vel suorum defectu  
 sæpenumero desit: pauci re, plures nomine, tum sibi, tum suis, IRENÆI legi-  
 timi perhibentur, hinc ille PRINCEPS PACIS Isai. 9. 6. cui factus est IN CRUCE  
 Principatus super humerum eius: cui multiplicabitur Imperium: & Pacis non erit finis: Irenæos  
 legitimos veræ Pacis hæredes instituens Ioan. 14. 27. Pacem inquit, relin-

quo vobis; Pacem meam do vobis: non quomodo Mundus dat ego do vobis. Nec apparet cui Oliva, sicut & Ficus, & Vitis oblatum sibi Regnum in prædicto Apologo recusarint, nisi quod illegitimum esset; in quo nec subditis regendis, nec ipsi Regi, Pax verâ concederetur: sed Olivæ sua pinguedo, sua Fico Suavitas, Viti suum Vinum; singula veræ Pacis Instrumenta deferenda forent, ne qualem qualem Fallacis Mundi Pacem vultu Schemitarum pseudopolitico simularent. Oniades autem Noster ad suum illud Regnum acceprandum esto invitatus, attamen sic invitatus, ut suam Rex inunctus, & Olivæ pinguedinem, & Fici dulcedinem, & Vini lætitiâ sibi & conservatam, & ampliâtam suis item liberaliter communicaret, prudenter illud recusare, si potuit: non debuit: ne maiores tam in semetipso, quam in Christiana Republica Fructus, præsertim Olivarios, impedire videretur. Quocirca Dica Horarum alterâ suum Oniaden quasi Regem, scilicet Imperii Romani Principem ad prima Imperii eiusdem à Julio Cæsare fundata Principia reducebat hoc suo velut Chronologico Lemmate:

OnIaDes hIC sVIIs In DeI eCCLEsIa  
frV CtVofVs est  
qVasI OLIVa pVLLVLans:



Dica Horarum Alteri Altera Musarum Trias Melpomene, Thalia, Euterpe, suos ex Oliva sui Oniadæ multiplices fructus triplici eiusdem signi, seu Columnellæ, seu Trabeculæ, seu Laterculo, accommodatis versibus quidem

dem; non tamen affectibus minutis exprimere conabantur illarum prior Melpomene quasi media præludens utrique, Thalia ad sinistram, Euterpe ad dextram consistenti, Musas omnes per utramque sic appellabat:

3.

1.


2.

En & IESVM  
 Verū Hierarcham:  
 Verus in Orbe,  
 Absque Hierarcha  
 Quisquis habet  
 Vult Politarchā,  
 Falsus aberrat.  
 En Hierarcham:  
 Cuius Oliva  
 Pinguior illam  
 Zorobabelis  
 Aridiotem  
 Fundat & almis  
 Fructibus ornat.  
 En Hierarcham,  
 Et Politarcham:  
 Qui genuinæ  
 Pullulus olim  
 Verus OLIVÆ;  
 Nūc & OLIVA  
 Pullulat Irsvs.  
 En Hierarcham,  
 Et Politarcham:  
 Cuius ab Æde  
 Manat in Urbem:  
 Cuius ab Imo  
 Pectore nunquam  
 Dehit OLIVVM.

Ecce Sorores:  
 ONIADARVM  
 Stemma duorum,  
 Gloria nostræ  
 Pallados, Arbor  
 Stat geminata  
 Pinguis OLIVA:  
 Cuius Odorem,  
 Atque Vaporem,  
 Cuius Honorem,  
 Atque Saporem,  
 Cuius Amorem  
 Aureus ambit  
 Heptalychnuchus:  
 Ante sacra  
 Fœderis Aram,  
 Et Cherubinos,  
 Ac Seraphinos  
 Excubitores,  
 Perpetuatis  
 Ignibus halans:  
 Hinc oleato  
 A Politarcha  
 Zorobabele;  
 Inde ab IESV  
 Vero Hierarcha,  
 Vere oleoso  
 Perpetuandis.

En Politarcham  
 Zorobabelem:  
 Qui Babylonis  
 Tecta relinquens;  
 Mœsta Sionis  
 Buxta revisit,  
 Cuncta reformans:  
 En quod utrique  
 ONIADARVM  
 Ponitur INSTAR:  
 Ut Politarchæ  
 Zorobabelis  
 Nomen, & Omen  
 Ambo capeffant.  
 Zorobabeli  
 Fortis Iacchus;  
 Rex quoque fortis:  
 Fortior illis  
 Fœmina: verum  
 Fortia cedunt  
 Omnia VERO:  
 Vera DEI MANUS  
 Totius Orbis  
 Archidynastes:  
 Cui Politarcha  
 Verus in Orbe,  
 Donec obedit.  
 Assimilatur.

Sed iam defiebat suum Olivariæ Musarum Triadi, præfixum trifarius Insignium Politarchicorum Figuris Intervallum: quando Vrania idipsum prudenter adveniens, longe ALTIUS, inquebat, huic Oleo, & Olivæ PRINCIPIMUM ab Insignibus forte Hierarchicis debetur exigendum: viam sternere videtur Hagiotypographus: dum Oniades ille typicus versu eodem scilicet proponitur QUASI OLIVA PULLVLANS,





**B** Oleagine igitur ad Cupressinum, in Oniadæ Nostri Horto, devolvimur Horologium, ut sic tandem aliquando Metam Hori, & Horologi nostri per considerata singulorum totius Anni Mensium Symbola consequenter assequamur. Horas vidimus ter quater nas, totidem Anni temporibus convenientes: Frigidior, & caliginosior Hyems à Sole, Luna, Stellaque Matutina, sibi Lucis, & Caloris non parum acquisivit: hinc Vernos Iris, à Roseto, & Liliato: Æstivos Ignis, & Sol à Thure, odores concitabat: Sed fructuosior Autumnus ex ipsis terræ Visceribus, AVRVM solidum, omnemq; lapidem pretiosum: Arborumq; pinguißimam OLIVAM, & CYPRESSVM altissimam producit. Hærendum paulisper hic in attingenda Cypressi altitudine, quoniam sensus hæc profundiores habet, quam vel prima fronte pateant, vel ab ipsis Rimatoribus penetrari queant: prout Hagio-typographus Noster insinuat: cum Oniades ille typicus ab illo describitur *V I. VELUT CYPRESSVS IN ALTIIVDINEM SE EXTOLLENS, in accipiendo ipsum Stulam gloriae, & vestiri eum in consummationem Virtutis.* In Latinis quo Græcismus aliquam obscuritatem parit: Sensus est: Cum Oniades ille gloriosum acciperet Pontificis habitum: & amictu illo vestiretur, qui summæ Virtutis, hinc & Autoritatis, & Potestatis argumentum erat, videbatur ipse: *Quasi Stella matutina in medio Nebula: & quasi Luna plena in diebus suis lucens: quasi Sol resurgens, sic effulgens in Templo Dei: quasi Arcus resurgens inter nebulas gloriae: & quasi flos Rosarum in diebus Vernis: & quasi Lilia, quæ sunt in transitu aqua: & quasi Thus redolens in diebus Æstati: quasi ignis effulgens, & Thus ardens in igne: quasi Vas Auri solidum, ornatum omni lapide pretioso: quasi Oliva pullulans, & Cypressus in altitudinem se extollens.* Mirabilis tot Symbolorum eidem Oniadæ contentiens varietas: mirabilior eorundem series: ordinem quis præ posterum diceret, in quo pinguißimæ Olivæ Cypressus omnino infrugifera, esto altissima, præferri censeatur. Ordinis ratio si qua inveniri potest, inquirenda.

CYPRESSVS, vel potius Cypressus, aut Cyparissus: Græci enim *αυρωπεριος* dicunt: Arbor quidem, ut Plinius eam lib. 16. cap. 33. depingit, Natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta: quoad umbram ingrata: quoad materiam non densa, sed rara; semel incisa non revirescens: hinc apud Poëtas Diti Sacra, Homini luctuosa, feralis, & funesta, quæ tanquam domestici funeris indicium foribus domesticis olim apponebatur: unde Romanis in more positum, ut domui funestæ Ramus Cypressinus affigeretur, ne quis Pontifex, illuc fortuito ingressus, ex improviso aliquam sui contaminandi ansam reperiret. At ista huius Arboris EPITHETA ipsius Dignitatem non tam imminuunt; quam adaugent: quod enim de Cypresso, velut Signo Funebri, obicitur, ex quo Funus alicubi, seu Cadaver humanum dignoscatur: id ad Mortis & Vitæ Singularem Antipathiam pertinet: CYPRESSVS enim velut altioris & immortalis Vitæ Humanæ Symbolum; vitam & Mortem illam temporaneam æternæ posthabendam esse, commonet Hominem unumquemque, in primis Sacerdotem, & Pontificem. hinc Levit. 21. 1. & 11. Sancitum divinitus per Moysen: ut Sacerdotes abstineant civium; quin & civilium Principum suorum luctuosis funeribus; imo ut Pontifex nullum prorsus, ne quidem pater-

paternum, vel maternum funus adeat, deplangat, seu deploret. Cadaver symbolum Peccati Mortalis, immortalem Divinæ Vitæ Statum in CYPRESSO figuratum, evertentis: Contactus, vel conspectus humani Cadaveris est cum peccatore cadaveroso familiaritas, & communicatio, univocque; singulariter autem Pontifici vetita, per CYPRESSI altitudinem: postulat enim, ut Philo de Monarchia lib. 2. eleganter differit, Lex in eo Viro præstantiorem homine Indolem: quippe, qui Deo sit familiaris præ ceteris, situs in quodam Divinæ, Humanæque Naturæ confinio, ut hoc Mediatore Deus propitietur Hominibus.

Eiusmodi familiaritatem adumbrat illa Elementariæ, quasi alimentariæ concretionis, in Materia Cypressina, singularis raritas: qua velut aërea, seu ignea, se tanto altius extollit, quanto minus ab elementis densioribus aggravatur. Eodem facit illa Cypressi nascentis morositas, & umbra terrenis Hominibus ingrator: Arboris namque rarioris intrinseca subtilitas in extrinsecam subtiliorum foliorum raritatem parcius exundat. Illa foliorum amarities, baccarum torvitas, & Odoris à Cypresso Violentia solis blattis, ac tuncis ex pulverulenta, humidaque Materia oriundis animalculis: hinc & blattariis, ac rincosis animalibus nempe Hominibus, præsertim adulatoribus, Parasitis, & Parasitastris, ut gravissime adversaria, sic maxime odiosa: hos egregius illè Virorum Principum formator Seneca, non tam tuctum Dominorum ARRISORES, quam ARROSORES nuncupandos autumat: hinc SEVERITATE quadam Principali, velut indole Cypressina, longissime ab Officiis, Beneficiisque Principalibus arcendos. Quis porro sit inter Amicum, & Assentatorem discernendi modus, erudite in suo de hac re commentariolo demonstrat Plutarchus: Christiano Principi sufficiat, illud Christi apud Matth. 7. 16. *à fructibus eorum cognoscetis eos.*

At Cypressomastix, ex Plinio supra citato, arguat ipsam inet CYPRESSVM FRUCTV SUPERVACVAM: redarguit illum, ut Patronos alios omitam, præclarus Ecclesiæ Doctor Mediolanensis Episcopus S. Ambrosius in suo Hexaem. lib. 3. cap. 13. ita scribens: OMNIA GENERA ARBORVM utilia sunt; alia in fructum; alia in usum data: nam & quibus non est fructus uberior; tamen usus pretiosior est. Cedrus suspendendis tectorum apta culminibus, eo quod huiusmodi materies, & procera sit spatii, nec onerosa parietibus. Lacunaribus quoque, comendisque fastigiis habilis est CYPRESSVS: unde & Ecclesia dicit Cant. 1. *Trabes domorum nostrarum Cedri: Lacunaria vestra CYPRESSI*: In his esse declarans decora sui ornamenta fastigii, qui quasi Trabes verticem Ecclesiæ sua Virtute sustineant, & fastigia eius exortient. Idem ad illud Psal. 118. 28. *Dormitaviis Anima mea præ tadio: confirma me in verbis tuis*: explicans illud Cant. 1. 16. *Lacunaria nostra CYPRESSINA*: GENVS HOC ARBORIS, inquit, NVNQVAM AMITTIT viriditatem suam: Hyemè juxta, Vere, atque Æstate comam patit, nec diverso colore mutatur. SOLAM HANC ARBOREM VENTVS suo nunquam honore despoliat: Sola nunquam veteri exiit amictu, aut novo flore vestitur. Sic Apostolica quoque Gratiâ nescit defectum; sed venustate sui floret. Sic Anima corrupti nescit quæ florentibus meritis vigens semper iustitiæ, cæterarumque Virtutum culmina patiente Magnanimitate sustentat. CYPRESSVS itaque, sicut & Cedrus, esto suos fructus edules

edules non habeat, usus habet architectonicos, eosque non vulgares, in Regio Salomonis, tam Palatio, quam Templo, sapienter approbatos: ita enim Sponsa eiusdem Cant. 1. 16. sibi, & ipsi congratulans, *Lectulus inquit, noster floridus: tigna domorum nostrarum CEDRINA. Laquearia nostra CYPRESSINA.* Nostri Lectulus Salomonis est CRUX, velut Salomonici Templi, & Palatii exemplar, ut Gloss. in Clement. 1. de summa Trinit. insinuat, ex quatuor Arborum generibus, in Templi, Palatiique Salomonici Fabrica præcipuis, constituisse putatur: iuxta versum illum vulgarem:

*Ligna Crucis Palma, Cedrus, Cupressus, Oliva.*

Nimirum Christus in Cruce instar CEDRI, & CYPRESSI exaltatus, quasi OLIVA, suum Gratiae Oleum profundens: quasi PALMA victrix de Morte, adversus Mundum, Carnem, Dæmonemque gloriosus triumphavit.

Hunc earundem Arborum quaternionem, Hagiotypographus Noster Oniadæ suo typico, ad Gloriosam CRUCEM Antitypo fabricandam, in eiusdem Viridario, manu divina fortunatam exhibet. OLIVAM pullulantem vidimus: CYPRESSVM exaltatam videmus: dum uterque Principalem Gloriæ Pontificiæ Stolem indutus ad exprimendam suæ Virtutis, & Potestatis Consummationem pyramidata in coniferæ Cypressi Speciem Tiara coronatur. Id enim Hagiotypographi verba insinuant Eccl. 50. 11. dicentis: *Quasi OLIVA pullulans, & CYPRESSVS in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolem gloriæ, & vestiri eum in consummationem virtutis: Quam gratum porro, quam utile, quam gloriosum fuerit ita exaltati Oniadæ in Templo suo Ministrantis officium v. 12. summatim comprehenditur his verbis: In ascensu Altaris sancti gloriæ dedit sanctitatis Amictum: nempe dum sic amictus Pontifex ad altare Sanctum ascenderet, prout ille suam à suo Amictu; ita vicissim ab illo suam Amictus gloriæ habebat, ut sic utrinque Maior haberetur. Eiusmodi, Gloriæ Cedrus, & Palma Symbolicè adumbrant v. 13. & 14. Sic enim habent: In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans iuxta aram & circa illum Corona Fratrum, quasi plantatio CEDRI in Monte Libano: sic circa illum steterunt quasi Rami PALMÆ, & omnes Filij Aaron in Gloria sua. Nempe Gloriæ Choragi Gloria Chori: Gloriæ Chori Gloria Choragi amplificabat: dum Oniades ille typicus non per suos tantum Levitas, & Sacerdotes; verum etiam ipse Altari suo assistens, instar CEDRI grandioris inter minora sui generis plantaria emereret, suisque Fratribus Generosis, quasi PALMA Nobilissima suis Ramis Genuinis magnifice quaqua versum stiparetur, accipiendo partes de manu sacerdotum immolandas, præsertim Animalis immolati PECTUSCVLVM, & ARMVM DEXTRVM, velut singulare Aaronis in pacifico Sacrificio dispartiendo peculium: quod supposita utraque Sacerdotis manu prius elevatum, posterius demissum, tandem ad modum CRUCIS, transversim, à dextra in sinistram diductum, prout ex Synagogico Rituali constat Levit. 7. 34. Pectusculum Elevationis, & Armus separationis, appellatur. In PECTUSCVLO Sanæ Fidei Doctrina, Sapientia Cordata; in ARMO, ceu Brachio dextro, Virtus, præsertim Charitas per Fidem Sapienter operans designatur.*

QVOD ERGO, interrogat Origen. homil. 5. in Levit. SACERDOTIS MANI PECTVS, AVT QVALE ? SIT PLENVM, inquit, SAPIENTIA : plenum Scientia: plenum omni Divina intelligentia: imo plenum Deo. Quale Brachium ? multa Sollicitudo, Labor, Vigiliæ, quibus convertat Peccatorem : qui proinde afferat hostiam Salutaris, Deo gratias agat. In qua hostia pars Sacerdotis efficitur PECTVSVLVM, ut sit in dicitur, quod pectus, & Cor ante mala cogitans Sacerdotis labore conversum recipit bonas cogitationes, & ita Mundatum est, ut Deum possit videre: Similiter & Brachium indicium est, quod mala eius opera, & sinistra convertit in dextram, ut essent secundum Deum, Origeni consentit S. Gregorius in suo Pastoralis part. 2. cap. 3. inquit: DIVINA LEGE ARMVM Sacerdos dextrum in Sacrificium accipit, & separatim: ut non solum sit eius operatio utilis; sed & Singularis: nec inter malos tantum, quæ recta sunt faciat; sed bene quoque operantes subditos sicut honore Ordinis superat; ita etiam Morum Virtute transcendat. Cui in eiu quoque PECTVSVLVM cum Armo tribuitur, ut quod de Sacrificio præcipitur sumere, hoc de seipso discat immolare: & non solum pectore, quæ recta sunt, cogitet; sed spectatores suos ad sublimia operationis Arma invitet: nulla prospera præsentis Vitæ appetat; nulla adversa pertimescat.

Ecce ONIADEN utrunque nostrum præsertim Antitypum suo Altari suos inter Levitas, & Sacerdotes, Sacerdotumque Principes quasi OLIVAM, CEDRYM, PALMAM, ET CYPRESSVM, inter sui Generis plantaria eminenter assistentē, ut suas in suo Sacrificio partes in Memoriam sui Domini Crucifixi per Figuram Crucis immolet, simul immolando semetipsum, revera profitentem illud Galat. 2. 19. *Ego per Legem Legi mortuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum CRVCI: Vivo autem iam non ego; vivit vero in me Christus æterna Dei Patris Imago, & Sapiencia: nimirum dicens per nostrum Hagiotypographum Eccl. 24. 17. dicens: Quasi CEDRVS exallata sum in Libano, & quasi CYPRESSVS in Monte Sion: quasi PALMA exaltata sum in Cades: & quasi OLIV Aspiciosa in Campis. CEDRVS 3. Reg. 6. 18. universam Dei Domum vestiens Auro supervestendam: illa OLIVA ibidem vetf. 31. suis ostiis, & ostiis, & Angulorum postibus Oraculi, Templique introitum adornans: PALMA illa v. 32. suis prominentium ramorum Anaglyphis inauratis per interiorum Oraculi, Templique faciem diffusa: illa denique CYPRESSVS, ex qua quidquid in Templo Cant. 1. 16. artificiosè laqueatum eminebat, peculiariter figurabatur: ut ex huiusmodi Arborum quaternione sua Oniadæ Nostro CRVX formaretur: cui Horarum tertia IRENE, suum hoc à Christi Crucifixi pacificis Natalibus dinumerandum appendebat*


Mnemosynon:

En HieropoLitarCha CrVCI FIXVS,  
qVasI CypresVS In aLTVM se eXtoLLens.

Huic Irenæo Mnemosyno reliqua, supremaque Musarum Trias, ne quid alteri peculiare concederet, suam unaquaque; suis versibus exprimentam

dam Figuram cogitabat, Terpsichore Palmam triumphalem; Erato Cedrum immortalem; Vrania, Irene comprobante, magis affectabat Cypressum: quod Cedrus perfectæ Immortalitatis: Palma consummatæ; Cypressus inchoatæ Victoriæ Symbolum videretur, in CRUCE nostri Oniadæ post hanc vitam ab immortali Cedro, & Palma victoriosa consummandum. Nescitis, inquiebat ex 1. Cor. 9. 24. quod ij, qui in Stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite ut comprehendatis. Et ad Philip. 3. 13. Ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatarum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu, nempe CRUCIFIXO dicente Ioan. 14. 6. Ego sum VIA, VERITAS, & VITA: prævalebat hæc Vranix ratio apud omnes Musas, & Horas: quibus inter se consentientibus Oniades Noster in sua Cruce ut exaltandus ita & salutandus in huius Operis Epilogo videbatur per Figuram CRUCIS exaltatæ instar CYPRESSI: pro qua rite adornanda Irene suum quasi Lemma sugerebat illud Ovidianum Hemistichion ex stadiodromorum Circo, assumptum:

### ---Metas imitata Cupressus.



Præcipua enim Cypressi Laus, illius Rectitudo in Conum, seu Metam desinens, HIEROPOLITARCHÆ STADIODROMO per MITRAM ad METAM recta, tendenti suam Regulam figurans: cui sese, prout convenerat, Musarum Trias extrema, per CRUCEM suis versibus expressam, legitime configuraret. Hos ergo Terpsichore, ad Oniaden suum directos, Crucis parti supremæ imprimebat, ut Erato suos illis dilatatiōres subiungeret, ab Vrania Metro inchoante consummandos:

46. THEODORUS ADOLPHUS  
de Reckex Cull. Anno 1651.

44. THEODORVS I. à Für-  
stenberg, an. 1585.  
42. Salentinus Comes  
ab Isenburg, Archiep.  
Colon. an. 1574.  
40. Rembertus de Ker-  
senbrock, an. 1547.  
38. Ericus Dux Brunsvic.  
Episc. Osnab. an. 1508.

Tu, Theodore Adolphe  
Hæc sub Imaginosa  
E ffigie CUPRESSI  
Orthodromum figurans  
Dilpositè Strategum:  
O fficiolus HÆROS,  
R em Paderæ grauatam,  
Ut potes, allevare  
Sub Gruce non gravaris.

45. FERDINANDVS  
Dux Bavariz, Archiep.  
Colon. anno 1618.  
43. Henricus II. Dux Sax.  
Admin. Brem. an. 1577.  
41. Joannes II. Comes ab  
Hoya, Ep. Osn. a. 1568.  
39. Hermannus II. Com.  
de Wid. Arch. Col. 1532

Ad Crucis palmam geminam congeminas utrinque  
D actylos palma ex gemina progenitis, duabus  
O bsecras Palmis Dominum: & collacrymans Tuorum  
L acrymis, offers Patriæ COR PATRIS: ut Paternum  
P aderanis Pæcrus hiet: quod pateat quibusvis  
H ospes actutum Hospitibus: præcipue COLONIS,  
U nde CRUX Christi ONIADAS progeneret NEPOTES,  
S ub quibus FONTES PADERÆ fructiferi perennent.

Huc, Hierarcha noster,

36. Simon III. Comes de  
Lippia, anno 1463.  
34. Wilhelmus Dux  
Mont. an. 1401.  
32. Joannes I. Comes ab  
Hoya, an. 1394.  
30. Simon II. Comes de  
Sterneberg, an. 1378.  
28. Balduinus Comes de  
Stetnsfurd, anno 1340.  
26. Theodoricus II. Ba-  
ro de Iteren, an. 1308.  
24. Otto Comes de Rit-  
berg, an. 1274.  
22. Bernardus IV, an-  
no 1225.  
20. Olivarius an. 1221,  
deinde Cardinalis.  
18. Bernardus II. à Dese-  
den, an. 1186.  
16. Evergisus an. 1159.  
14. Henricus I. Comes  
à Waldeck, an. 1084.  
12. Inadus Comes Ples-  
sensis, anno 1052.  
10. Meinwercus Comes  
Gelder. à Deisterbant  
anno 1009.  
8. Volcmarus an. 955.  
6. Wimanus an. 911.  
4. Biso, anno 879.  
2. Baduradus, an. 804.

I n speciem CUPRESSI  
E rigeris, supremum  
R espiciens BEATI  
ONIADÆ Bravium.  
P erge igitur secundis  
Ominibus, VIATOR,  
L iberiore sursum,  
I n Crucis hoc Agone,  
T ractu Aquilæ citari.  
Ad sua PADERANOR  
R ex Politarcha REGES,  
C urriculo haud eodem,  
H ic videat citatos,  
A ppropèraste Fata.  
P er sua quisq; Princeps,  
A Domino supremo  
D iribitore, FATA  
E rigitur SUORVM  
R ex, veluti CUPRESSVS  
A llicoma, ut præaltis  
N octiferæ CUPRESSVM,  
U mbiferamq; MORTEM  
S ensibus apprehendat.

37. Hermannus I. Land-  
grav. Hass. Arch. Col.  
an. 1498.  
35. Theodoricus III. Com-  
es de Mörs, Archie.  
Col. anno 1415.  
33. Bertrandus Italus, an-  
no 1399.  
31. ROBERTVS Dux Mont.  
anno 1367.  
29. Henricus Spiegel à  
Defenberg, an. 1360.  
27. Bernardus V. Comes  
de Lippia, an. 1320.  
25. Gunterus Comes de  
Schvvalenberg, 1305.  
23. Simon I. Comes de  
Schvvalenberg, 1254.  
21. Willebrandus Com.  
de Oldenburg, 1223.  
19. Bernardus III. 1202.  
17. Sigefridus, an. 1177.  
15. Bernardus I. à Dese-  
den, anno 1126.  
13. Poppo ab Holdt, Præ-  
posit. Bamb. an. 1077.  
11. Rotho Baro Gelder.  
de Buren. an. 1036.  
9. Rotharius, an. 981.  
7. Dudo, anno 930.  
5. Theodoricus I. an. 902.  
3. Euthardus, an. 852.  
Non dis-

En  
PADERANA CRUX,  
à Leone III. & Carolo Magno  
fundata, ut exaltaretur per suos  
Hieropolitarchas, quorum pri-  
mus an. 795. HADUMARUS  
Nob. Saxo, Canoniceus Herbip.

Non displicebat Musarum, & Horarum Choro illa CRVCIS PADERANÆ sic fundatæ, sic exaltatæ in Cypresso effigies: Crucifixum ONIADEN sicut exprimens, una cum suis Prædecessoribus: Qui, An. & Quomodo singuli, cum Apostolo Gal. 2. 19. dicere possint: *Christo confixus sum CRVCI, ONIADÆ nostro perpendendum relinquebatur.* Sed, inquiebat Euterpe, *MUSICA nostra in Luctum desinere videtur, contra illud Hagiotypographi, Eccles. 3. 21. dicentis: Non impedias Musicam.* Sic arguenti Euterpe, suum Terpichore adversus Ecclesiasticum, adducebat Ecclesiasten, c. 7. 3. dicentem: *Melius est ire ad domum LVCTVS, quam ad domum CONVIVII: in illa enim Pini cunctorum admonetur Homini: & vivens cogitat quid futurum sit.* A quo non dissentit idem Hagiotypographus Eccl. 7. 40. dicens: *in omnibus operibus tuis memorare NOTISSIMA tua, & in aeternum non peccabis.*

Responsionem hanc Terpichores, Urania comprobans, eandem approbat illustri Exemplo illius Magni Eleemosynarii, Joannis Archiepiscopi Alexandrini: prout in vita eiusdem ap. Sur. 23. Jan. Leon. Ep. Neapol. enarrat: Memor enim ille sui Prædecessoris: Theodori Archiepiscopi tantum biennis, ut perpetuam brevis Regiminis, & subitæ Mortis, ante oculos Memoriam foveret, sibi Monumentum extrui mandavit semiperfectum: cuius Præfecti certis diebus, præsertim solenni-  
bus, epulante cum suis Curialibus Archiepiscopo, has voces intonarent: *Monumentum tuum, in hodiernum usque diem est imperfectum, Domine, quocirca iube, ut finem accipiat: incertum enim qua Hora Fur ingreditur, nempe MORIS.*

In sensum eundem, ille Magnus Archimandrita Bernardus auream illam Eugenio III. Papæ, quondam suo Discipulo inscriptam Epistolam concludit, his verbis illum appellans: *Confortare igitur, & esto robustus: Manus tua in, cervicibus inimicorum tuorum: Vindica tibi, Animi tui Constantia, & Vigore spiritus, Partem, quam dedit extra Fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam & tulit de Manu Amorrhæi, in gladio, & arcu suo, IN OMNIBVS TAMEN OPERIBVS TVIS MEMENTO TE ESSE HOMINEM, & Timor eius qui aufert Spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantum in brevi Romanorum Pontificum Mortes tuis oculis aspersisti: ipsi te Prædecessores tui tua certissima, & citissima decessione admonent: & modicum tempus Dominationis eorum paucitatem Dierum nuntiet tibi, lugis proinde meditatione, inter huius presentis Gloria blandimenta, Memorare NOVISSIMA tua: quia quibus successisti in SEDEM, ipsos sine dubio sequeris ad MORTEM.* Ita suo Eugenio Bernardus,

Licet & Palladi, Musisque ita suum alloqui ONIADEN: suum olim Discipulum, & Clientem; nunc Mæcenatem, Patronum, & Dominum: cui tanquam suo CARIONI MAXIMO, in Amphitheatro Principali, suum illæ Monumentum hic representant, ab Ecclesiastico Hagiotypographo iam olim præsentatum, quod ille typicus ONIADEN intra sui Principatus Annos XII. sibi perfectum, totidemque Symbolicis testimoniiis, velut Hieropolitarchicis INSIGNIBVS approbatum exhibet suo ANTIPTO: in simili forma perficiendum, Quem in finem Palladius ille Musarum, Horarumque Paderanarum Chorus, ONIADÆ suo Hieropolitarchæ plures Annorum Dodecades apprecatur: sed non aliter, quam sibi met ipse apprecari desiderat, nimirum:

Ad Maiorem Dei Gloriam, & universæ Patriæ Salutem:

Ita ergo

Vivat IO: vivat PRINCEPS THEODORVS ADOLPHVS

HEROS: HEROVM perficiatque suum.

Ita futurum, ex Inauguratione sui Oniadæ, tum Hierarchica, in Festo S. Remigii, tum Politarchica, in Festo S. Caroli Borromæi, augurabantur Horæ: quibus accinebant Musæ, hoc utriusque Inaugurationis commemorativum Eteostichon

Heroo sui Herois inscribendum.

ReMlgIVs, CaroLVsqVenoVVs generatVr ab HorIs:

TVnC HlerarCha sVo; nVnC POLITarCha gregl.





168 SIMON ONIADES IUSTUS, hieropolitarcha typicus: antitypum suum... Theodorum Adolphum (van der Recke) Episcopum Paderbornensem... recenter inauguratum repraesentans: prout ab Iesu Sirachide, libri sui Ecclesiastici cap. L praesentatus Societatis Iesu Collegio Paderb. (Paderborn, 1651). 8vo. (4), 120 pp. — With 2 printed titles, a title-vignette, 3 coats of arms (von der Recke), and 12 emblematic copperplates in the text.

A very rare emblem book, edited in the honour of Bishop Theodorus Adolphus of Paderborn. The underlying allegory derives from the Simon Onias episod in Ecclus 50. Red morocco, back, covers and edges gilt; inside dentelles; on the centre of both sides the coat of arms of the Von der Recke family. — (Some leaves browned; otherwise a very nice copy). —

